4° Knit
340

Digitized by Google

Digitized by Google

DE FABULA

EQUESTRIS ORDINIS

CONSTANTINIANI

SCIPIONIS MAFFEII MARCHIONIS;

EPISTOLA.

AUGSBURG

TIGURI,

Typis ALBERTI GRATZ Bibliopolæ. 1712.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOMINICO TEUPOLO SENATORI VENETO,

S. P. D.

Scipio Maffeius.

QUONAM meo fato, SENATOR ampliſſime, factum eſſe putem, ut quod à me non ita pridem vir doctus alter petiit, ipſiſſimum illud nuperrimis literis petas, utque id me agere jubeas, quod à me, perinde ac ſi præſenſiſſem, quantâ fieri potuit diligentiâ actum eſt? In quo illud quidem perjucundum, quòd nullâ interpoſitâ morâ ſatisfacere tibi poſſim; illud minùs gratum, quòd nullâ operâ, meritoque nullo facturus ſim. Cum igitur, ut ſcribis, librum quemdam evolveres arido modo pumice expolitum, in quo Ordo, quem Conſtantinianum vocant, à Conſtantino repetitur, & Equeſtribus omnibus anteponitur, animum tuum cupiditas inceſſit, ut ego potiſſimùm qui in Equeſtri eruditione nonnihil videor exercitatus, rem hanc funditus examinandam ſuſciperem. At idem prorſus Giſberti Cuperi conſilium fuit, viri, ut probe noſti, cùm doctrina, tum humanitate cum paucis comparandi. Accidit ſiquidem, ut is ab homine Italo per Hollandiam iter faciente mirifica quædam audiret de Militiæ hujus antiquitate, ac præſtantia, quæ cùm erudito viro non probarentur, furere pæne ille, ac jactare ſe, multiſque verbis contendere, in iis omni-

bus dubitationi nullum locum eſſe ; vidiſſe ſe Græcorum Imperatorum antiqua diplomata, vetuſtiſſimas legiſſe Pontificum Romanorum Epiſtolas ; rem publico judicio diſceptatam ſæpius, à plurimis optimæque notæ Hiſtoricis traditam, antiquis marmoribus ſculptam; recenti denique, tum Imperatoria, tum Pontificia confirmatione extra omnem aleam poſitam. Quin à ſpectatiſſimo in Italia magnæ ditionis Duce, ejus Ordinis præfecturam eo ipſo tempore affectari, addebat exæſtuans atque acriùs diſſerens quàm pro materia. Impulerunt hæc omnia virum doctum, ut quid hoc rei eſſet, plane ſcire vellet; hortatuſque me eſt perhumanis literis, ut quidquid hoc laboris eſſet, ne recuſarem. Ego quidem plura ſtatim ad diſputationem hanc pertinentia erui ex adverſariis meis, quæ cum agerem *de ſcientia quam Equeſtrem vocant* ; vel ultro ſe obtulerant, vel etiam præcipue cum Romæ eſſem datâ operâ ſcrutatus fueram : at cum rem ab ovo repetere, Scriptorumque, ac diplomatum fidem rogarer excutere, negotiis pluribus implicitus, valetudine etiam parum firma qualemcumque vix poſt menſes aliquot diſſertationem abſolvi. Jam vero quod cum eam exararem, tibi quoque obſequerer, quamvis inſcius, ac incogitans, ***bono eventui***, ut cum tuis nummis loquar, me ſolemniter litare fas eſt : quid enim aliud præſtandum nunc eſt à me, ut officium impleam, quàm ipſam illam Epiſtolam, nihil addito, nihilque demto, ad te mittere ? Quod autem ea, te ipſo manum porrigente, Muſæum tuum ingreſſura ſit, antiquitatis ſcilicet, puriorisque eruditionis Sacrarium, inſperatæ etiam felicitati tribuendum exiſtimo. Ut enim omittam cætera, ubi terrarum ſelectior numiſmatum, aptiúſque diſpoſita congeries ſpectari poſſit ? Quam incredibilis pretii gazam, non quia ex ea ditior, ſed quia ſapientior in dies fieri ſoles, tanto amore proſequeris, ut ſive ad Provinciarum adminiſtrationem proficiſcereris, ſive ad Militaria munera, quæ tibi maxima injuncta ſunt ; eam pæne ubique circumtuleris : præclara hæc ſiquidem vetuſti ævi monumenta tu vere poſſides, cum ita cognoſcas, intelligas, interpreteris, ut plane conſtet, ea non in domum tantùm, ſed & in animum te recepiſſe. Verùm quid te moror ? Quæ de quæſtione, quam intuliſti, utcumque diſceptavi, jam perlege ; & præſidium Literis, Reipublicæ incolumitatem, auctoritate ac prudentia tua in longum ævum allaturus, cura ut valeas.

Digitized by Google

VIRO UNDEQUAQUE ILLUSTRI

GISBERTO CUPERO,

S. P. D.

Scipio Maffeius.

LONGE ſeriùs quàm conſtitueram, & quàm tibi, VIR DOCTISSIME, ſuperioribus literis promiſeram, fidem meam libero, atque tibi de ea, quæ percrebreſcit in dies, Ordinis Conſtantiniani diſputatione ſatisfacio. Moram verò nolim vel deſidiæ meæ tribuas, vel prætermiſſo a me officio, aut neglecto: ſed primùm quidem domeſticis curis, tricíſque innumeris, quibus angor miſere, impedior, obruor, conficior; deinde etiam quod libri non pauci deeſſent mihi, quos ad rem omnem, ut tu petebas, funditus exhauriendam, neceſſe erat inſpicere. Acceſſit ipſa rei moles, quæ mihi omnia evolventi mirum quantùm ex omni parte præter expectationem excreverit: neque enim, ut putâram, contra rumoris neſcio quid, & ſtultam imperiti vulgi credulitatem decertandum fuit; ſed contra cujuſvis generis Scriptores plurimos, qui pro fabula iſta acriter dimicant, veluti pro aris & focis. Centum & quinquaginta jam anni effluxère, ex quo volumina & ſcripta varia in Conſtantinianæ militiæ ſubſidium, & laudem prodire non ceſſant; neque Italice tantùm, ſed Hiſpanice, Gallice, Anglice, & Latine. Quin noſtris hiſce temporibus, quibus purgantur omnia, & ad purioris eruditionis lucem revocantur, Ordinis hujus opinio aucta mirum in modum, & confirmata eſt: ſiquidem ab iis ipſis, qui literas aliis tradunt, ita ſolemniter propugnatur, ut de ea dubitare *ſummam inſaniam* vocent: jamque non modo peculiari ***Compendio hiſtorico*** næniæ omnes iſtæ collectæ ſunt, ſed ne exiguis ampliùs libellis res ageretur, quæ anno M. DC. XCII. nitidiſſimis, & magnificis typis Religionum Equeſtrium omnium edita Hiſtoria eſt, à Conſtantiniana rem auſpicatur, eamque cùm Melitenſi,

Comp. Iſtor &c. Deniz 1699. in 4.

tum cæteris omnibus ex omni titulo longe anteponit. Hoc autem opus uſque eo probatur quam plurimis, ut ſit modo qui id tranſcribere operæ pretium putet: ex Actis enim Lipſienſibus (a quibus olim multis laudibus cumulatum eſt) legi nuper in menſe Januario anni elapſi: *Celeberrimus Vincentius Coronelli editis jam octodecim Bibliothecæ univerſalis tomis, ubi ſub littera C. ad titulum Cavalieri pervenit, in eo nunc eſt, ut integram Bernardi Juſtiniani hiſtoriam Ordinum Equeſtrium retuſam vaſto illi operi inſerat.* Cumque formidati illius Dictionarii Collector hiſtoriam tamen iſtam a ſe expurgatum iri palam profiteatur, ex Viro docto qui emendationes recenti manu exaratas legit, in eo præſertim emendari intelligo, ut Conſtantinianus Ordo non CCCXII. ſed anno tantum a Chriſti natalibus CCCXIV. inſtitutus ſit. At non Venetiis tantummodo in hujus Militiæ gloriam his ipſis diebus laborant typi, verum etiam Romæ; ubi Scriptorem audio multis operibus celebrem, & occaſione Muſæi Kircheriani in Diario Italico magnis laudibus memoratum, ſimilem Equeſtrium Ordinum hiſtoriam edere; inque ea, ſi per eos ad quos ſpectat licebit, ante alios omnes Conſtantinianum proferre: illius certe antiquitatem, atque amplitudinem extollere, maximumque denuo acceſſurum ſplendorem valde jactare. Neque propugnatores iſti adjutoribus carent; Auctores enim plures, etiamſi ad argumentum non pertineret, affirmare non ſunt veriti, *ad illius exemplar reliqua fermè omnia Militiarum inſtituta inventa eſſe*: iique etiam qui hoc Equeſtris Militiæ inſigne nedum deſpectum, ſed a prudentioribus odio habitum optime noverunt, antiquitatem tamen non auſi ſunt in dubium revocare; quod apud Joannem quemdam Sorantium videre eſt. Quin ne quid diſſimulem, aliquos vidi huic fabellæ calculum addidiſſe, qui cum Conſtantinianos Hiſtoricos latuerint, in ſcenam non proferuntur. Sunt ex his Petrus Creſcentius in Præſidio Romano; Aſcanius Tamburinus, qui ubi *de jure Abbatum* agit, Militiam iſtam *inſtante Martiano Auguſto à ſancto Leone Pontifice confirmatam* narrat; & celebris Auctor Joannes-Baptiſta de Luca, qui Conſtantinum Magnum, *etſi in urbe & per Imperium totum Equeſtrium Ordinum jam vigeret uſus*, conſilium tamen cepiſſe ait, novum rurſus inſtituendi, qui *Conſtantinianus, ſive Divi Georgii appellaretur.* Horum vero omiſſorum damnum abunde ſupplent hujus Ordinis aſſertores ſexcentis aliis quoquo modo adductis; ita ut in eorum Compendio Hiſtorico, nominibus acervatim citatis, libri margines deſint; in quibus eruditorum principes cerneres, veteres Scriptores, ipſaſque Romanas leges. Quin antiquis etiam monumentis ſe tueri non dubitant;

Giorn. &c. Tom. 1. p. 453.

Alph. Ciacon. de Sig no Crucis, p. 4.

Sor Idea del Caval. p. 66.

Tom. 2. p. 305 Edit. 3. Lugd 1650.

Nel Caval. cap. 7.

Digitized by Google

actorumque, bullarum, ac diplomatum tam cumulata farragine, ut minus mirer aliquando doctis etiam quibuſdam fucum factum; ſicuti Gretſero accidit, qui etiamſi verecundia quadam, ſcripſit tamen ante alios omnes Crucis inſigni uſos eſſe *Milites Militiæ Conſtantinianæ*. Annon etiam in Pontificio Sacello Religionis hujus Procuratori locus adſignatus, & de Cardinali Protectore adſignando benigne aliquando reſcriptum eſt? Ita certe jactant, meminitque etiam de Luca. Quod vero ab Italo illo tantopere exaggeratum dicis, ad me quoque incerta fama perlatum eſt; nempe in id modo incumbere impoſtores iſtos, ut Principem ſummum Magno Conſtantino inani ſuccedendi ſpecie illaqueent ac decipiant, quin Poëmata jam viſuntur in hoc argumentum exarata; & vel rei nummariæ Scriptores inclyti illius Ducis iconem hoc onerant titulo, perinde ac ſi tanto nomini ſplendor a chimæra mutuandus eſſet. Omne tamen tuliſſe punctum ſibi videntur, cum antiquas recenteſque Pontificias & Imperatorias confirmationes oſtentant: neque homines deſunt dignitate ſpectabiles, qui Religionem in partes vocent, eorumque qui de his rebus aliter exiſtimant, ſententiam omnem velut impiam ac nefariam continuo explodendam putent. Hæc omnia, V. Cl. Equeſtris hujus Ordinis propugnacula, neque occulere honeſtum duxi, neque diſſimulare: poſt hæc tamen omnia Ordinem iſtum merum figmentum eſſe, & fabulam perridiculam iterum ſtatuo: quod vero in tot propugnatorum gratiam unice dandum exiſtimo, id certe eſt, ut nulla unquam forte fabula tanto rerum apparatu in vulgus data ſit, tantoque conatu defenſa. Rem aggreſſurus, ut ab æquivocis pluribus, hoc eſt, ambiguis & captioſis verbis caveamus, quæ harum rerum Scriptoribus perpetua ſunt ac communia, de Equeſtri dignitate quædam præmittenda puto; illud vero etiam præmonendum, aures tuas antiquis Auctoribus & monumentis perpetuo delinitas, barbaris verbis & dictionibus in hac materia ſæpe feriendas; quam moleſtiam nulla mollie ſtyli venuſtas: neque enim forte ad rem iſtam facit, elegantiæ diligentius conſulere.

De Cruce tom. 2. l. 2. c. 57.

Nell. Dot. volg. l. 14. c. 49.

V. Nell. *Arpa Celeſte* Parma 1702. in 12. J. Ceſari &c.

II. Mirum profectò eſt, in quot nugas abierint Scriptores, Equeſtris dignitatis originem tradentes. Mirum præcipue quod in libris meis de *Scientia quam Equeſtrem vocant*, nuper innui, a nemine fere inter Militiam & Equeſtres Ordines, ſive Religiones ut appellant, probe diſtinctum eſſe. Militia, ſeu Dignitas Militaris ea eſt, quæ vulgaribus linguis *Cavalleria* vocabulo peculiariter indigitatur, & de qua in-

Digitized by Google

telligendum eſt, cum in vetuſtis membranis Militum adjuncto nobilium nomina occurrunt. Aptiſſime autem Militiæ nomen retinuit, cum ab origine nihil aliud eſſet, quam Militiæ ſolemniter nomen dare, atque, ut ita dicam, militaribus ſacris initiari. Origo verò longe antiquiſſima, & ex more quodam Septentrionalium populorum, quem Tacitus apud antiquos Germanos, his verbis diſertè oſtendit: *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quam Civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio vel principum aliquis; vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornant: hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domûs pars videntur, mox Reipublicæ* En ut arma ſolemni quodam ritu jam id temporis a Germanis ſumerentur, utque ea res inſignis honoris loco haberetur; quæ eodem etiam vocabulo a Tacito indicata eſt, quod poſtremis ſæculis invaluit, cum hujus Dignitatis inſignia, *ornamenta Militiæ* appellata ſunt. Apud Longobardos (ita ut ſcis, nomen hoc Latini Auctores ſcripſere, earum gentium pronuntiationem, hoc eſt vocis ſonum, ſequi malentes quàm ſcripturam) Audoïnus Rex rogantibus, ut Filium ob virtutem eximiam in ancipiti prælio teſtatam Regali menſa dignaretur, ita reſpondet ex Paullo Diacono, lib. I. *Scitis non eſſe apud nos conſuetudinem ut Regis filius cum patre prandeat, niſi prius à Rege gentis exteræ arma ſuſceperit.* Poſt Borealium gentium irruptiones, inſtitutum hoc per univerſam ſere Europam diffuſum, ac propagatum in præcipuam Dignitatem valuit, cujus cæremoniæ pro regionibus, ac pro temporum ratione variæ ac multiplices. Inter has tamen principem locum ictus tenet, qui vel manu, vel lato gladio infligitur; hinc Caroli Cangii conjectura ex manumiſſionibus morem fluxiſſe; antiqui enim *quos manumittebant eos alapa circumagebant*, ut ad Perſii Sat. V. Cornutus notat. Ego, quod tamen proxime accedit, potius ab emancipatione deducerem, in qua pariter filius colapho percutiebatur; Militaria enim inſignia cum propioribus ſæculis, tum antiquitùs, ut ex memoratis Taciti verbis liquet, ſæpe a patre tradebantur. Neque mirum videri debet poſt Italiam a Barbaris occupatam aliquid ex Romanis ritibus in hunc barbaricum irrepſiſſe. Balnea pariter adhibita frequenter ſunt, quæ accingendus ingrediebatur. Quin benedictiones armorum, vigilias ac prævia jejunia Chriſtiana Eccleſia, ut profanam conſuetudinem conſecraret, inſtituit; quæ omnia ſatis adnotata & vulgata ſunt. At cur recentiori ævo *Cavalleriæ* nonen huic honori inditum fuerit, paucis expediam. Ritum iſtum ad id referri vidimus, ut Militaris inſtituti auctoramentum quoddam ſignificaret; quod poſtquam dignitatis ſpeciem præ ſe tulit, quæ ſolis fere nobili genere prognatis

De Mor. Germ.

Vid. *Della Scienz. Cavall.* l. 2. c. 1

Cap. 14.

Gloſſ. Lat. v. Alapa Milit.

prognatis concedebatur, cùm in Equeſtrem magis quàm in Pedeſtrem militiam nobiles recipi mos eſſet, ſimul cum armis equeſtria inſignia tradi cœpêre, calcaria ſcilicet, quibus inluſtrius Militiæ genus indicaretur. Hinc Militaris dignitas eodem nomine recentioribus linguis appellari cœpit, quo equitatus; atque hinc quem medio ævo Latine Militem, Italice *Cavaliere* diximus; qua voce, prima idiomatis noſtri ætate, equitatui adſcriptus deſignabatur. Cum vero ex hac dignitatis ſignificatione poſtea accideret, ut eadem vox ad nobilitatem oſtendendam, vitæque ſplendorem affinitate quadam adhiberetur, in hunc demum ſenſum apud nos vulgo recepta eſt; cumque ſimiliter Militis nomen plurifariam uſurparetur, pluribus captionibus perquam lepidis locus datus, quarum unam obiter explicare abs re non erit. In quibuſdam Italiæ Urbibus lictorum Duces præfatæ dignitatis nomine indigitantur. Ita apud Veronenſes meos is qui Epiſcopalibus ſatellitibus præeſt, *il Cavalier del Veſcovo* appellatur, & ejuſdem muneris miniſter alter, qui uni ex Urbis rectoribus famulatur, *il Cavalier del Capitano*. Tam incongruentis tituli rationem à multis nequicquam perquiri, aliquando audivi: quæ certe alia non fuit, niſi quod cum miniſtri ſatelliteſque ſive Principis viri, ſive Prætoris, Milites olim nominatim vocarentur, cumque Dux eorum *Miles poteſtatis* abſolute diceretur, vel *Miles Epiſcopi*, ubi id muneris Italicè nominandum fuit, uſus ex Militari dignitate frequens convertendi vocem *Miles* in *Cavaliere* effecit, ut in hoc etiam caſu per idem vocabulum redderetur: inde factum, ut vili atque infimæ ſortis miniſterio tam præclara adhæſerit, inſigniſque denominatio. Ut ad inceptum redeam, ubi Militari dignitate inſigniti equeſtribus ornari inſignibus, promiſcueque ac equitatui adſcripti vulgaribus linguis cœperunt appellari, Equitis quoque vocabulum ad hunc honorem Latine ſignificandum cœptum eſt adhiberi; quod ita invaluit, ut in Chartis propioris ævi vox *Miles* amplius non appareat, & illius loco *Equitis* titulum repoſitum videamus. Ubi vero Equites conſtanter dicti, & Equeſtris dignitas, quæ prius Militaris appellata eſt, ſtatim ejus origo uno ore ab Equeſtri Romanorum ordine repeti, inſtitutio Romulo adſcribi, inque ejus laudem privilegia Romanorum Equitum recitari: atque hæc non ab infinita tantummodo indoctorum turba, verùm & ab iis, qui eruditorum choro magnis laudibus accenſentur. Quid quod ubicumque in Græcis libris ἱππεὺς legitur, vel ἱππότης, ut ab Homero Neſtor vocatur, ſtatim de Equeſtri dignitate intelligendum eſſe contendunt? Quàm ridicula hæc, quàm inania, quàm ab omni veritatis veſtigio

Digitized by Google

remota, te clarius, qui Romanam Græcamque antiquitatem egregie calles, perſpicit nemo. Reliquum eſt, ut adnotem, quod cum calcaria in Militum inauguratione tradi ſolita ob decorem quemdam inaurari cœpiſſent, locuples *Aureata* titulus, de quo tot myſteria ſomniant, in hanc dignitatem invectus eſt, atque Equitis Aureati ſplendidum cognomentum. Favinus quidem Palatinis Comitibus uſque à V. ſæculo aurea calcaria tribuit, ſed hallucinatur; neque ulla de his mentio, vel de aliis Militiæ inſignibus, quæ cum Palatina dignitate male confundit, in Theodoſii ſanctione quam citat. Jam vero quod ad rem noſtram facit, ex brevi hac cùm rei, tùm nominis hiſtoria colligere primùm eſt, quàm miſere aberrent omnes ii, qui originem Equeſtris dignitatis à Magno Conſtantino derivant, quæ tanto antiquior non ſolùm, verum etiam tam disjectis in regionibus perquirenda, & ex populis adeo diverſis arceſſenda erat. Animadvertendum ſecundo, mirum in modum hallucinari qui Ordinem illum, de quo in præſentia quæſtio eſt, quemque Conſtantinianum vocant, eumdem cum Militia ponunt, Aureatumque appellantes, cum Equeſtri hac dignitate pravè confundunt, ac miſcent. Ordo enim ſuus, ut ipſi conantur evincere, equeſtribus Religionibus accenſendus eſſet: at inter iſtas Militia nullo modo computanda eſt: præter quàm enim quod ejus origo Chriſtiana tempora anteceſſit, in corpus unum ipſa non coaluit umquam, neque inſigne tradidit perpetuo geſtandum, neque ſedem habuit, neque certas Regulas, neque Magiſtrum, ſive Præfectum ullum: ſed dignitas quædam cum eſſet imaginaria, & vaga, non ſolùm à quocumque Principe, vel civitate, verùm etiam à privatis hominibus dummodo eâdem ornatis, vel rei Militaris laude conſpicuis deferebatur: propterea Galliarum Rex Franciſcus I. *ejus Dignitatis ornamenta de manu Baiardi viri fortiſſimi lubens accepit.* At cum cæteroquin inter Equeſtres Religiones Conſtantiniana iſta recenſeatur, de illarum etiam initiis aliquid breviſſime diſſerendum eſt.

Fav. Theâtre d'honneur.

Jovius Hiſtor. lib. 15.

III. Undecimo deſinente ſæculo P. M. Urbanus II. ad Hieroſolymam expugnandam, ſacrumque Soſpitatoris noſtri Sepulchrum ab Infidelium poteſtate eripiendum Chriſtianos populos ita inflammavit, ut ex omni pæne Europa, infinita hominum multitudo cogeretur. Huic expeditioni *Cruciata* nomen ex eo impoſitum, quod Pontificis juſſu ad belli ſanctitatem oſtendendam Crucis ſignum in veſtibus milites omnes præferrent. Prima itaque Equeſtrium Ordinum velut idea, ſive imago quædam tunc exhibita eſt, cum videlicet in certum

Digitized by Google

piumque militarem finem plures conjurarent, cumque communi, peculiarique inſigni ſinguli diſtinguerentur. At Urbe ſanctâ poſt varios caſus in poteſtatem redactâ, Hoſpitalis domus, Monachorum operâ ab Amalphitanis mercatoribus ex Italia deductorum erecta, in ea reperta eſt ad peregrinos excipiendos longis difficillimiſque itineribus fractos. Tam pio, tamque neceſſario inſtituto cum certatim ſuffragarentur omnes, pluribus, ditiſſimiſque prædiis Xenodochium hoc ſtatim donatum eſt: cui cum plurimi ſe ipſos etiam devoverent, & Fratrum Hoſpitalis nomine ad pietatis officia ſedulo incumberent, ut omnia rectiùs adminiſtrarentur, regulis, & exinde votis, Pontifice ſummo adprobante, ſibi propoſitis, rectorem *Magiſtri* nomine ſibi præfecêre. Per idem tempus viri alii nobiles ab Europa profecti, *Chriſti ſervitio ſe mancipantes*, ut legimus apud Guillelmum Tyri Archiepiſcopum, *more Canonicorum Regularium, in caſtitate & obedientia, & ſine proprio velle perpetuo vivere profeſſi ſunt.* Iſtis vero *in remiſſionem peccatorum injunctum eſt, ut vias, & itinera maxime ad ſalutem peregrinorum contra latronum, & incurſantium inſidias pro viribus conſervarent:* cumque domicilium haberent prope Templum, Templarii dicti ſunt. Breviſſimo temporis ſpatio in eam potentiam hujuſmodi cœtus creverunt, ut rem Chriſtianam ingruentibus undique barbaris valde laborantem juvare maxime poſſent; quod cum armis præſtare ſibi ex inſtituto proponerent, ſimulque Hoſpitalarii candidam, Templarii rubeam præferre perpetuo Crucem, nova Religioſarum Societatum armis belloque addictarum ſpecies exorta eſt. At cum propterea ii omnes, qui ex nobili genere prognati inſtitutis his devovebantur, Equeſtri, de qua paulo ante, dignitate ornarentur, Equeſtrium Ordinum nomen irrepſit, atque adhæſit. Religionum militarium occaſionem habes, atque originem: ad harum normam eodem ſæculo, iiſdemque vel ſimilibus impellentibus cauſis, Teutonicorum in Oriente, deinde in Hiſpania non unus tantùm Ordo emerſit. At labentibus ſeculis Principes viri quamplurimi hæc inſtituta imitantes, Equeſtrium Ordinum numerum mirum in modum auxerunt; & quamvis ut plurimùm nullo militiæ genere iis implicato, non alium ſibi finem proponerent, quàm ut honoris ſpecies nova, faciliſque præmii ratio conſtitueretur; qua benemerentes ornarent; ad primorum tamen exemplar Militaris dignitas unicuique conjuncta eſt; quapropter cum cæteris quibuſcumque inſignibus calcaria quoque tradi innuemur. Factum ita eſt, ut quædam Militiæ cæremoniæ adhuc ſervarentur, cujus cæteroquin ſeparatim habitæ neſcio an aliud ſuperſit inſigne exemplum,

Bel. ſac. l. 11. c. 7.

Digitized by Google

quàm cùm à Pontifice maximo, & à ſummis Regibus Veneti Patritii, præcipuè legatione functi, Equeſtri titulo augentur: quem magni faciunt ipſi ob Reipublicæ morem univerſali huic, ac velut umbratili dignitati peculiarem, propriumque *aureæ ſtolæ*, ut vocant, Equeſtrem Ordinem adjiciendi. Verum quidem eſt, de Militari dignitate tunc quoque agi, cum Equitem ſimpliciter fieri quemquam audimus, qui tamen in nullum Ordinem recipitur, neque magno Magiſtro ulli ex eo ſubjicitur, quem Equitem Aureatum, ſive à calcari aureo appellare conſueverunt: ſed cum eo nomine inferioris ut plurimùm ordinis homines, & à re militari alieniſſimi donari ſoleant, varias ejuſdem honoris metamorphoſes mirari ſubit. Utinam tamen res hîc ſubſtitiſſet; nempe ut ab Urbium, Provinciarumque dominis inſignes exempli gratiâ pictores vel architecti Equites dicerentur; ſi quidem uſque à V. ſæculo laudatis artificibus honor comitivæ quandoque deferebatur, ut ex Codice Theodoſiano argui poteſt: at cum ſæculo XV. poteſtas Equites creandi privatis viris etiam hæreditario jure dari cœperit, accidit ut videamus aliquando ab hominibus abjectiſſimis titulum hunc oſtentari: Equites enim illi Scutellius & Scarleggius per Italiæ oppida curſitant, circulatores in foris ac triviis ante popellum agentes. Ceterum quicumque hac dignitate, cui ab eo qui dat, atque ab eo qui accipit pretium venit, quomodocumque tandem gaudent, Crucem indebite geſtant; cum id inſigne peculiarem Ordinem ſignificet, non vero Militiam. Ex memorato Equeſtrium Religionum more Militarem dignitatem ſibi adjungendi, factum eſt ut cum de iis ſermonem haberemus, in hanc iterum inciderimus; neque vero illarum quoque nomen vana ingenia effugit. Mercatorem vidi nuper ab Oriente redeuntem fulguranti Cruce inſignitum, qui ſancti Sepulchri Eques vocabatur. Is Ordo à quibuſdam Scriptoribus cum Hoſpitalario confunditur, ab omnibus autem magnis præconiis evehitur. His Equitibus, quos Patrum Franciſcanorum, qui Hieroſolymæ ſunt, Præſes creat, magnifico diplomate, in quo à Carolo Magno inſtituti prædicantur, privilegia irrogantur *legitimandi, Notarios creandi, quoſcumque alios præcedendi;* ſed hæc trita & vulgaria: illud inſuper, *ut ab omnibus gabellis & tributis ſint exempti ubicunque locorum.* Hæc omnia, quæ cùm de Religionibus Equeſtribus, tùm de Militari dignitate hactenùs diſſerui, quæve ab rerum earum Scriptoribus, quorum perampla volumina creſcunt in dies, ne minimum quidem vel tradita, vel intellecta ſunt, cave credas, V. Cl. ad præſentem diſputationem parùm conferre: ad præſtigias ſiquidem hac in re factas perfecte detegen-

Digitized by Google

das neceſſaria fuiſſe, brevi te agniturum ſpero. Jam vero ex dictis patet, Equeſtres omnes Ordines, qui ante ſacrum bellum prædicantur, vel originem fabulari, vel omnino mera ſomnia & chimæras eſſe; cum ante expeditionem illam Religionis ad rem bellicam inſtitutæ, ne ſpecies quidem ulla uſquam terrarum in hominum mentes irrepſerit. Ineptiſſime ergo nugantur Auctores ii, qui Equeſtres Ordines, non in Romanis modo & in Græcis, ſed etiam in antiquioribus Judæis inveniunt, & laudant. Inter has vero fabulas facem præferre Ordinem illum, de quo in præſentia quæſtio eſt, quemque ſeptem & amplius ante Cruciatas ſeculis inſtitutum contendunt, liquido te perſpecturum ſpondeo, ubi rem ipſam aliquanto propiùs attigero.

Quis in primis, qui eruditionem à limine ſalutaverit aliquando, ad riſum non excitetur, cum de Equeſtri Religione audiat, IV. incipiente poſt Chriſtum natum ſæculo à Romano Imperatore inſtituta? Militaris enim illius, quæ iſtis Ordinibus perpetuo adhæſit, dignitatis, ne umbra quidem ad Romanos pervenerat, cum ritus ille, ex quo fluxit, ſolemniter arma tradendi, intra barbaros adhuc ſe contineret; nec niſi effuſis demum, ac regnantibus Borealibus populis agnitus in Italia ac receptus ſit. Quin in Oriente, ubi Conſtantiniani Ordinis ſedes figitur, atque propagatio jactatur, ne dum Militia percrebuerit umquam, ſed ut pote alterius pæne orbis propria ante ſacrum bellum ita omnes latuit, ut cum ſæculo XII. ab Europæis in Syria mos hic non ſemel exhiberetur, percelebris Saladinus novitatis famâ permotus à Chriſtiano captivo Militaribus ornari voluerit inſignibus, ut quid hoc rei eſſet, plane cognoſceret. Verùm quî fieri potuiſſet, ut ſingularis hæc Religioſi Ordinis ſpecies eo tempore prodiret, quo clauſtralium ordines, ad quorum normam Equeſtres conſtituti ſunt, nondum in Chriſtiana Republica apparuerant? Monachi enim qui prævivere ceteris, nondum in unum convenerant, neque ſcriptam communemque regulam acceperant. Quid quod ſub divi Georgii *Equitis* titulo hunc cœtum jam tum auſpicato prodiiſſe pro certo affirmant? cum Equitis nomen Divo Georgio proximis tantùm ſæculis impoſitum ſit; nimirum poſtquam ad ſignificandam invicti Martyris de dæmonio victoriam, ipſum equo inſidentem, draconemque lanceâ perimentem pictores ſymbolice effinxerunt. At cur non mihi placeant ſummopere Conſtantiniani aſſertores, cum eos pugnare video, ut Imperator de Chriſtiana fide primò, & adhuc confuſe cogitans, Chriſtia-

IV.

Novelliere antico Nov 51.

Digitized by Google

niſque nondum imbutus legibus, atque inſtitutis, Religioſorum Ordinum fundatorem egerit? hunc ſcilicet ab eo ſtatim poſt pugnam cum Maxentio inſtitutum narrant, locaque, ſeu *Conventus* eis Equitibus Conſtantinopoli tunc adſignatos numerare incipiunt, cum tamen Conſtantinopolis in rerum natura nondum extaret, ad quam in Byzantii oppidi loco conſtruendam, non niſi celebrato ad Nicæam contra Arium Concilio Imperator animum adjecit. Quin ditiſſimas Commendas, ut vocant his Equitibus à Conſtantino cum in Oriente, tum præcipue in Hiſpania traditas feliciter recitant, cum tamen vix ſub Gregorio Magno Commendarum imago aliqua, & vix initium quoddam ſub Leone IV. memorentur ab iis, qui eas antiquiores volunt. Tam futiles ac repudiatas ineptias vel redarguere me pudet. Quod ſi de re non abſurda prorſus, at ſolùm inſigni ageretur, nonne ridiculum & ſtultum eſſet tot narrationes ſubtexere nullo antiquo teſtimonio ſuffragante? Scire enim aveo, an Scriptores iſti omnes cum iis tantùm qui literas neſciunt rem ſibi eſſe putent; an cum de Conſtantino loquuntur, de Imperatore vix nomine tenus noto, deque obſcuriſſima, atque incomperta ætate ſe agere autument. Nullus certè ex iis omnibus, qui res illius poſterorum memoriæ mandaverunt, de celeberrimo hoc Equeſtri inſtituto verbum facit. Unus mihi inſtar omnium Euſebius ſit, qui non ſolum Conſtantino coævus, ſed amicus, ac pæne familiaris fuit. Nihil ille de re hac in Eccleſiaſtica hiſtoria, nihil in libris de vita Conſtantini, nihil in prolixa de ejus laudibus oratione. An quiſquam erit, qui de tam memorandâ inſtitutione, tamque accommodata ad Conſtantinum Chriſtianæ Religioni toto animo addictum oſtendendum, quæ ſingula accuratiſſime perſequitur, Euſebium ſiluiſſe credat? non de alia re fuſius diſſeruiſſet. Locum quidem unum ex Euſebio adducunt Conſtantiniani noſtri, at quàm inutiliter, & abs re, alibi patefaciemus. Idem prorſus dicendum de Conſtantini ævo propioribus Socrate, Sozomeno, atque Theodoreto: idem de Anaſtaſio Bibliothecario, qui Baſilicas ab eo Imperatore excitatas, piaque ejus geſta diligenter recenſet: idem demum de omnibus, qui ad Conſtantinum poſtremum uſque claruêre, quive Orientalis Imperii res magnis & plurimis voluminibus tradidêre. Qui in hac hæreſi ſunt, hujus Ordinis Inſtauratorem eximium Iſaacium Angelum ubique prædicant, qui inclinante ſæculo XII. Imperium tenuit: quin tamquam hiemales noctes anilibus fabulis tranſigendæ eſſent, generale ab ipſo Capitulum Conſtantinopoli coactum narrant, ubi Equites CDXXXIV. convenerint. At Iſaacii Angeli res geſtas

Comp. Iſtor. f. 1. 9. Iſaac Re- g[illegible]æ, &c.

Nicetas Choniates eximiæ dignitatis vir, quique omnibus interfuit, tribus libris diſtinctè, ac diligenter exponit, deque rebus his ne verbum quidem. Quingenti ex his Equitibus, Urbe a Turcis captâ narrantur etiam internecione deleti: At Conſtantinopolitanam expugnationem qui deſcripſerunt, hos Equites memorant numquam; & qui obſidioni, atque excidio interfuit Georgius Phrantzes, de iis nihil prorſus. Quid opus plura? de ſocietate, ut deſcribitur, tot ſæcula potentiſſima, maximiſque factis percelebri, ne ſyllabam quidem in tota Byzantina Hiſtoria reperire eſt: idem dico de ſacri Belli Scriptoribus, qui nullo modo eam prætermittere potuiſſent, cum Equeſtres alii Ordines tam inſigniter ab iis memorentur, à Villelmo Tyrio potiſſime, & Jacobo à Vitriaco: præcipue cum ad expeditionem illam L. miſſos fuiſſe ex hoc cœtu Magnæ Crucis Equites Hiſtorici noſtri lepide tradiderint. Omni igitur antiqua auctoritate, ſine qua conſiſtere nequit, deſtitutum prodiit commentum hoc: at nec recenti cui ponderis inſit aliquid, gaudet; auctores enim ii, qui ante Andreæ cujuſdam Angeli ætatem, vel ante ab ipſo excogitatam chimæram hanc, Equeſtrium Ordinum hiſtoriam ſuſcepêre exornandam, hujus non meminerunt. Anteceſſit cæteros Dionyſius Trimboccus Mutinenſis libello Italice edito de eorum origine, ubi de Conſtantiniano nihil, etiamſi de Conſtantino bis inciderit mentio. Diſtinctius deinde Franciſcus Sanſovinus anno 1566. & Guido Panzirolus, cujus de Equitibus opus Mſ. vidi; neque hunc recenſuere quamvis fabulâ jam vulgatâ. Anno 1581. egit de Religionum omnium origine Paulus Morigia, Militares omnes in III. libro percurrens, neque iſtam novit. Eandem Spartam ſuſcepêre Aubertus Miræus anno 1609. Franciſcus Menenius anno 1613. neque Drivaſtenſem hanc Militiam penitus admittunt, aut nominant. Perſequi omnes non vacat: Ludovicum vero Gothofredum cur præterirem, qui in libro III. Archontologiæ Coſmicæ Equeſtrium Ordinum ita hiſtoriam tradens, ut quorumcumque audita ſunt nomina enumeret, neque à fabulis ab anterioribus traditis abſtineat, Conſtantinianum tamen antiquiſſimum omnium, ut nunc dicitur, illuſtriſſimumque nullo modo memorat? Rejiciunt etiam tacite impoſturam hanc viri docti omnes, qui Militarium Ordinum originem à ſacro bello derivant, veluti Polydorus Virgilius Urbinas, & ex recentioribus P. Papebrochius, qui in S. Georgio caput IX. ita orditur: *Fallunt, ſeu volentes falluntur adulatorio ſtudio placendi abrepti, quicunque militarium Religionum principia ante XII. ſæculum requirunt.* Denique is aperte reprobat, atque irridet,

Comp. Iſtor. f. 42.

Comp. Iſtor. f. 26.

De rer. invent. l. 7. c. 5.

April. d. 23. pag. 155.

qui ob admirandam Græcarum rerum inferioris ævi peritiam præ omnibus habendus eſt, Carolus Cangius ſcilicet, qui Familias Byzantinas inſigni opere illuſtrans, in XIII. ubi Angelorum Drivaſtenſium, à quibus hoc mendacium manavit, vanitatem exſibilat hæc tradit: *Quin etiam eo venere frontis, ut militaris perinde imaginarii S. Georgii Ordinis Magiſtros ſupremos ſeſe inſcripſerint.* Verum hæc omnia tibi, eruditiſſime vir, ſatis conſtant, neque in eo erat voti tui ſumma, ut quid in hac re ſentiendum ſit, tantum oſtenderem. Quamvis autem æque ac fabulam cognoſcere, in promptu non ſit fabulæ hiſtoriam conficere, & munimenta omnis generis, quibus propugnatur, convellere, hoc ipſum tamen utcumque præſtare jam aggredior.

V Circa dimidium XV. ſæculi Andreas cognomento Angelus Drivaſti, quod Albaniæ oppidum eſt, inter præſtantiores, & ingruente à Turcis bello Venetorum partibus addictiores cives non ſine laude memoratur. Filios habuit Paulum, qui Dyrrachii Archiepiſcopus fuit, ob ardorem ſuum populos, principeſque viros in Turcas concitandi, Venetæ Reipublicæ eximie acceptum, & Petrum qui in Veneto exercitu meruit, penſione etiam donatus ab ærario Drivaſtenſi percipienda, quæ ut ad filios tranſiret anno 1475. exoravit: Drivaſto autem capto in Italiam contendit, utque ſibi adhuc quatuor in menſes ſingulos Veneti ducati perſolverentur, impetravit. Ex Petro filii IV. Andreas, Hieronymus, Joannes, & Paullus. Andreas rectorem egit Eccleſiæ Parochialis S. Angeli de Sala in agro Patavino; Hieronymus Militiæ nomen dedit, Joannes uxorem duxit; Paullus vero Brianæ, qui agri Tarviſini pagus eſt, Parochus fuit, & anno 1517. ut penſio patri adſignata ſibi, & fratribus difficultate quadam ſuborta prorogaretur, evicit; quæ ipſis iterum iterum petentibus anno 1541. confirmata eſt. Fratribus iſtis præclaram Conſtantiniani Ordinis machinam omnino debemus; ab iis ſiquidem a fundamentis excitata, & ad umbilicum inventis pluſquam poëticis perducta, amplianda, ac propaganda poſteris ſuis patrimonii loco legata eſt. Quod hæredes abunde præſtiterunt, præcipue plurimorum diplomatum, actorum, inſtrumentorumque ſubſidio, quæ non ſemel typis vulgantes, ſpargenteſque in vulgus, tum de hujus Ordinis antiquitate multitudini impoſuerunt, tum principibus etiam, ut videbimus, eruditorum in parte aliqua fucum fecerunt. Levi tamen cura & eorum infinita mendacia detegam, & de documentorum fide (quinque primis in præſentia omiſſis) nihil ſollicitus, ex iis ipſis aliquanto acutius inſpectis

Omnia ex eorum Actis.

Inſpectis rei veritatem elucescere, ni fallor, perſpicue oſtendam.

VI. Id quod præcipue ab iſtis chartis urgetur, quodque fictionibus, cæteris viam parat, ac ſternit, nobilitas eſt hujuſce familiæ regia, ac imperatoria, & parum abeſt quin præadamitica. Modeſte agitur cum ab Iſaacio Angelo Græcorum Imperatore genus deducitur, Iſaacii vero rectiſſimo tramite a Conſtantino. Nihil niſi regna, & imperia loquuntur umquam, titulos a Provinciis conglobatis arceſſunt, avoſque chlamydatos ubique in oculos ingerunt. Has offas projicientes præſentis fortunæ miſerationem excitare ſatagebant, Ordinique Conſtantiniano præludere, ex cujus præfectura non exigui reditus ſpes effulgebat. At hæc omnia figmenta mera; ut enim privatæ olim nobilitatis laude in Drivaſto oppido potitos Angelos iſtos facile conceſſerim, ita quidquid hunc limitem ſupergreditur, a vanitate & mendacio repetitur. Ut ſingula attingam, ridiculum primo eſt, quod Imperatorem Iſaacium Angelum ex M. Conſtantini proſapia ortum contendunt, quodque inauditam progeniem hanc non interrupta ſerie confingunt. Quis enim non indignatur cum ad præparandam fabulam, Angeli cognomentum Conſtantino a nugatoribus iſtis appingi videt; quod non niſi multa poſt ſæcula auditum? Ex ignota ſcilicet humilitate genus hoc vix circa dimidium XII. ſæculi emerſit, cum Conſtantinus Angelus arridente fortuna Imperatoriam uxorem ſortitus eſt: hujus patria Philadelphia, at de patre ob obſcuritatem non conſtat. De eo ita Nicetas in Manuele lib. 2. ὃς ἐκ μὲν Φιλαδελφίας ὥρμητο, καὶ γένους ἦν οὐκ εὐπεριύφου [f. εὐπαρύφου] πάνυ καὶ εὐγένους. εὖ δ' ἔχων τῆς σωματικῆς φυῆς καὶ ἐπὶ τοῦ προσώπου λειμῶνα κάλλους κηπεύων, τὴν Θεοδώραν πρὸς γάμον ἠγάγετο, ἣν Ἀλέξιος ὁ βασιλεὺς ὁ προπάτωρ τοῦ Μανουὴλ ἐγείνατο τὸ κάλλος εὐτυχήσασαν προμνηστρίαν. *Qui equidem Philadelphia profectus eſt, & generis erat non boni admodum, nec nobilis. Bene autem ſe habens de corporis indole, & pulchritudinem, faciei velut hortum excolens, Theodoram uxorem duxit, quam Alexius Imp. avus Manuëlis genuerat, pulchritudinem nactus pronubam.* Ex Conſtantino Andronicus, & ex Andronico Iſaacius, qui a ſeditioſa plebe Imperator ſalutatus eſt. Quam nova hæc familia eſſet, Alexius Iſaacii frater oſtendit, qui ubi Imperium tenuit, τὴν Ἀγγελωνυμίαν παρωσάμενος Κομνηνὸς ἐπιλέγετο. *Angeli cognomentum rejiciens* [obſcuri ſcilicet generis argumentum] *Comnenus vocabatur.* At falſum erit ſimiliter ab his Angelis imperantibus Drivaſtenſes Angelos genus duxiſſe. Hujus mendacii ex eo petitus color, quod Conſtantinopoli anno 1203. a Venetis & Francis expugnata, in tumul-

Nicet. Chon. in Alexio l. 1, n. 3.

Digitized by Google

tuaria Provinciarum Imperii diviſione, quæ ſtatim facta eſt inter expulſos, nepotibus ex Joanne Filio Conſtantini illius Angeli, de quo nuper, ditiones plures in Græcia contigere, in quarum dominatu ipſorum filii, & agnati, tum legitimi, tum nothi diu perſtiterunt, Theſſaliam præcipue, ac veterem Epirum obtinentes. At liquet ex hiſtoricis, qui eorum Principum bella, defectioneſque ab Imperio fuſe tradiderunt, eorum poſteritatem XIV. ſæculo omnino deſiiſſe, atque extinctam eſſe. Nicephorus Gregoras lib. 2. c. 8. §. 1. Ἐπὶ τούτων μέν τοι τῶν χρόνων ἦρχε Θετταλίας, καὶ Αἰτωλίας, καὶ τῶν πέριξ Μιχαὴλ ὁ Νόθος υἱὸς τοῦ πρώτου ἀποστάτου Μιχαὴλ τοῦ ἀγγέλου. τελευτησάσης γὰρ τῆς ἄλλης συγγενείας ἐκείνου πάσης, περιῆλθεν ἤδη πᾶσα ἡ τῶν χώρων ἐκείνων ἀρχὴ εἰς ἕνα τουτονὶ τὸν Νόθον Μιχαήλ. *His temporibus præerat Theſſaliæ, & Ætoliæ, & finitimis regionibus Michaël nothus filius primi rebellis Michaëlis Angeli; extincta enim cetera illius cognatione omni, devenit omne regionum illarum imperium ad unum hunc Michaëlem nothum.* Deinde lib. 8. c. 12. Προτεθνήκει δὲ καὶ ὁ τῆς τῶν Θετταλῶν ἡγεμονίας τελευταῖος διάδοχος ὁ τῶν Ἀγγελωνύμων ἀπόγονος. *Præmortuus etiam fuerat Theſſalici Principatus ultimus ſucceſſor ex Angelorum familia.* Hic autem poſtremus hæres circa annum 1306. deceſſit, fuitque Joannes Alexius Joannis nothi filius. Diſcimus ex eodem Gregora per idem tempus Thomam Angelum Ætolorum deſpoten a conſobrino Franci generis Cephaloniæ comite interfectum eſſe, ditionemque ejus omnem invaſam. Sed ne Acropoliten, Pachymeren, & ~~Cantacuzenum, apud quos de iiſdem mentio eſt, percurramus~~ omnes, nullum ex tota ea cognatione ſtipitem ſuperfuiſſe, nullamque inſuper aliam ejuſdem nominis valde inclytam in Græcia familiam extitiſſe, quidni ex Laonico etiam Chalcocondyla deduci poſſit? Qui cum Athenienſis, oculatuſque teſtis, illarum Provinciarum, totiuſque Græciæ res uſque ad annum 1462. ſcriptis mandaverit, inter familias plures, quarum incidit in hiſtoria mentio, neminem umquam hujus cognominis memorat. Ut vero ſtem promiſſis, privatam mediocremque Drivaſtenſium Angelorum familiam ex ipſiſmet, quæ ab ipſis oſtentantur, actis, ac privilegiis tam perſpicue evincam, ut collectori jure merito dici poſſit: *Hæ tabellæ te arguunt, quas tu attuliſti.* Privilegia autem ipſa ex ampliori collectione indicabo anno 1626. ſub Franciſci Malvetii nomine vulgata.

Plaut. Bacch. IV. 7. 10. In 4. Evangeliſta Deuchino in Venez. ed in Piac.

VII. Diſcimus igitur ex non mendaci charta ad pag. 44. inſerta, Petrum Angelum quatuor illorum fratrum patrem, in patria ſua adhuc degentem, menſtrua penſione donatum fuiſſe quatuor ducatis Venetis

Digitized by Google

reſpondente, quam deinde filiis quoque impetravit, quamque iterum anno 1541. confirmatam ex iiſdem actis notavimus ſupra. At nonne ex penſione hac, temporis etiam ratione habita, hominis ſtatum cognoſcis? An crederes quatuor ducatos Venetos, quæ argentea moneta eſt, potenti admodum regiæque familiæ viro, a Republica maxime erogatos? non puto te de Veneta omni ævo ſpectata magnificentia tam demiſſe ſentire. Hic adnotandum eſt, vel doctiſſimum Cangium ab his impoſtoribus aliqua ex parte deceptum: nam quamvis Angelos iſtos videat *Imperatoriarum familiarum cognominibus, ac dignitatum imaginariis titulis* inſanientes: quædam tamen illis aliquanto largius indulget, velut cum Paullum Angelum Cardinalem vocat, quod omnino falſum eſt. Neque aliunde id hauſit, quam ex Jtalico, quem ſæpius citat, libello *Geſtorum Scanderbegii*. At opus illud per Marinum Barletium Scodrenſem latine conſcriptum eſt, qui nuſquam hoc dicit. Italice vertit Petrus Rocha; ſed poſt annos aliquos Franciſcus Sanſovinus male à ſe collectæ ac conſarcinatæ Hiſtoriæ Turcicæ inſeruit corruptum omnino, & marte ſuo deformatum. Inter ea quæ addidit Paulli iſtius in Cardinalem electio eſt; inter ea quæ dempſit, vaniſſimi Drivaſtenſis populi irriſio, qui Romanorum coloniam jactitabant Drivaſtum, cum *id oppidum nullo ſatis conditore, nec vetuſtate nobili* vere eſſet. Ad documenta redeo, quibus liquet ex fratribus Angelis in Italiam profectis, Andream & Paullum viros Principes, uti nunc tanto clamatur hiatu, Parochorum munus in iis pagis obtinuiſſe; ubi ex ipſorum teſtimonio adeo tenues rectorum proventus eſſent, ut *etiam parce vivendo non ſufficerent*. At non aliunde rei veritas magis eluceſcit, quam ex perridicula gradatione, quæ in his chartis etiamſi artificioſe transpoſitis, ac permixtis adverti poteſt. In Leonis X. bulla, occaſione reſignationis Parochialis Eccleſiæ Brianenſis data, Paullus Clericus Drivaſtenſis ſimpliciter appellatur; inque primis pariter genuinis actis *Petrus, & Paullus Angeli* nude veniunt, nullaque appoſita dignitatis ſignificatione. At paulo poſt in mandato quodam Andreas *Canonici & Comitis* adjectione gaudet. Exinde Donatio profertur, ubi *ex Romanorum Procerum, moxque Byzantii Imperatorum genere declaratur*. Sequitur *Fides atteſtationis* Vicarii Patavini, in qua *de illuſtriſſimo Imperatorum genere utroque parente procreatus* aſſeritur. Hinc bullæ exhibentur quarum una non *Comitem* tantùm, sed *Ducem* appellat, *Boſnaque Reginæ conſanguineum*; altera Hieronymum *Theſſaliæ Principem*, alia vero Paullum fratrem *Principem Chaoniæ* (glandiſne?) vocant. Ejuſdem Parochi teſtamentum aſſertur, quo alterum ex fratribus *Achaiæ Principem* dicit; & poſtquam ceſſerat Græ-

Famil. Byzant. XIII.

Argentorati 1537. in fol.

Barlet. l.3.

Pet. Roch. pag. 91.

Collectio Malvetii pag. 102.

pag. 62

pag. 40.

pag. 49

pag. 53

pag. 94.

pag. 102.

pag. 158

pag. 177

cia omnis in prædam, ne Aſia quidem hanc regnorum ingluviem effugit; Petrum ſiquidem nepotem, quem hæredem inſtituit, *Ciliciæ Principem* nuncupat, Petrus iſte ampliſſimam progeniem degeneri animo non deturpavit, neque inglorius deceſſit; ubi enim teſtamentum condidit, Andream filium hæredem ſcripſit *in omnibus praeminentiis, dominiis, regnis, principatibus & ducatibus ſuis*. Quis talia fando temperet a riſu? Eadem gradatio ſpectanda in titulis. Primo nullus; exin *domini*, & *magnifici*; hinc illuſtriſſimi; pag. 73. *Excellentia* fulget; denique ad *ſerenitatem* pervenitur: quæ in poſterum ita affigitur, ut fides fiat *de ſereniſſimo Jo: Andrea Angelo Principe Macedoniæ, filio Sereniſſimi Petri, qui filius fuit Sereniſſimi Joannis, & frater Sereniſſimi Andreæ*. Quænam ſtultitiarum impunitas? Hæc tamen ea documenta ſunt, quibus hiſtoriæ conſarcinantur in dies, quibuſque magni nominis homines perampla & nitidiſſima volumina augere pergunt, atque illuſtrare.

pag. 191

pag. 225.

VIII. Ad aëreæ nobilitatis imposturam pertinet etiam plurium cognominum uſurpatio: ſiquidem cum a principio non niſi Angeli nuncupentur, in progreſſu repente Flavii appellantur: unde laudata ab exitu videri poſſit adulatio, ea, quæ in Titi numiſmate viſitur, ubi in averſa parte Templum cum epigraphe AETERNIT. FLAVIORUM: nomen enim iſtud cum longum ævum ab Imperatoribus, aliiſque pluribus aſſumptum fuerit, uſque in hanc diem per heroas iſtos vivit. ~~Comnena etiam familia ab iiſdem arrepta~~ eſt, quæ in Vicarii Paravini atteſtatione primo apparet lepida hac inſinuatione *qui Angeli, ſeu alias quoque Comneni nuncupabantur*: quod cognomentum magis placuit, pauca enim invenias magis diffuſa, atque uſurpata gentilitia nomina: cum ob morem Græcorum inferioris ævi ea ex fæminis, & ad libitum ſibi arrogandi, pluribuſque etiam utendi ſimul, ut Manuël, & Andronicus, quorum quiſque Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus appellari voluit; tum quia cum Imperatoria ea familia, in multos ſtipites olim diviſa, in Italia ſpeciatim innoteſceret, plurimi ex Græcis profugis, *flantes inanes glorias*, Comnenos ſe jactitarunt. Poſteriori ætate genealogiæ conſtructæ ſunt, quarum ſit pro ſpecimine volumen illud Calepini Dictionario mole par, editum ſub ficto Laurentii Miniati Veronenſis nomine, in quo collectum eſt ſummo labore quidquid mendaciorum eſt, atque ineptiarum. Ibi argutus auctor Comnenum ſanguinem ab Ænea derivat, & feliciſſima nec uſquam interrupta ſerie per Julium Cæſarem, & Conſtantinum Magnum tranſeunte uſque ad

pag. 58.

A Gell. circa init.

Le glorie d. Fam. Comnena.

Digitized by Google

noſtra tempora deducit. Demonſtratur ibi perſpicue Imperatores omnes cujuſque ætatis, Ottomanis non exceptis, Comnenos fuiſſe; imo & Principes cæteros fere univerſos: pluresque etiam ex privatis familiis ad id faſtigium ut evehantur, feſtiviſſimæ recitantur hiſtoriolæ. Hæc autem propterea noto, quia nugæ iſtæ omnes Ordini Conſtantiniano, qui in eo volumine, ſimul cum Drivaſtenſibus noſtris in Comnenorum ſtemmate benigne receptis non ſemel laudatur, admodum profuerunt. Familiæ ſcilicet Comnenica nobilitate donatæ cum intelligerent nebulones illos, quod Comneni eſſent, Equeſtri Ordini præſidere, quem Aureatum, Imperialem, Angelicum audirent appellari; tam pulchræ rei deſiderio captæ de prærepto ſibi hujus Ordinis jure præcipue ultimis hiſce temporibus queri cœperunt, unde augetur fabula, atque illuſtratur in dies. Angeli vero genealogiam ſuam pariter edidere, de qua ita Cangius: cum de ridiculis id genus figmentis ſermo eſſet. *Ejuſmodi ſunt etiam ſtemmata alia quæ hujus ſæculi Græculi omni poſito pudore compoſuere, ubi Imperatorum, aliorumque gentis ſuæ procerum, à quibus ſe prognatos fruſtra perſuadere conantur, indices genealogicos ab ipſo perinde Adamo confinxerunt.* Satis jam ex dictis patere arbitror, fundamentum omne Conſtantinianorum corruere, quod in genere nullum eſt aliud, quam Drivaſtenſium Angelorum Imperatoria nobilitas, & Conſtantini Magni cognatio, ex qua hujus Ordinis traditionem, ac jus iis adhæſiſſe contenditur. Nunc vero ex iiſdem documentis Ordinem iſtum Andreæ Parochi merum figmentum fuiſſe operæ pretium erit oſtendere.

Specimen vide ad pag. 44. n. 3.

Famil. Byzant. in Præfat.

IX. Abunde id vel ex eo tantùm conſtat, quod ſero admodum in iſtis actis, ac privilegiis Conſtantinianæ militiæ nomen appareat. Quinque enim illis in præſentia omiſſis, quæ poſtmodum confictâ ſunt, quamvis nunc ante alia ponantur; advertere eſt, nihil de ea in Venetis omnibus legi, nihilque in Pontificiis diverſi generis tum ſpuriis tum legitimis, quæ primo occurrunt: adeo ut pagina demum 128. in monitorio annum 1578. præferente ignotus hactenus, & auditus numquam *ſupremi magiſtri Militiæ S. Georgii* titulus, & de *militibus Conſtantinianis cum Cruce rubea ſignatis*, ac de *Conſtantino inſtitutore* incognita adhuc hiſtoria, primo in conſpectum hominum veniant. Nonne hinc clare liquet Ordinem hunc ante ea tempora nullo modo extitiſſe? Si enim hac dignitate inſigniti in Italiam Drivaſtenſes noſtri adveniſſent, quis non videt ſtatim procul dubio illam prolaturos, atque oſtentaturos fuiſſe, cum tam proclive ad ſe-

ipſos magnificandos genus eſſent? Quis eos credat ultra L. annos ſpecioſum privilegium, inſignemque titulum, ac præfecturam jactare diſtuliſſe? Cum ergo præeant ceteris XXXIV. omnis generis acta, & diplomata, quæ inter excelſos, & ex omni vanitate quæſitos titulos, interque avitas, & ex ipſorum ingenio recenſitas dignitates de Equeſtri Ordine, ac Magiſterio verbum non faciunt; liquido conſtat, non modo vanam, & ſimulatam eſſe hujus Ordinis larvam, verum etiam commentum iſtud genti Angelæ nonniſi poſt multos annos in mentem veniſſe. Quod ne tam manifeſto eluceſceret, in cæteris privilegiorum editionibus, quæ Romæ, Venetiis, atque aliis in locis adornatæ ſunt, & in ampliſſima etiam anni 1671. primæ eæ, quas nunc perpendimus, chartæ omittuntur, nec niſi in Malvetiana leguntur omnes. Primo igitur nihil aliud ſpectabant Angeli fratres, cum regia cœperunt loqui, & ditiones magnas a Turcis ereptas, & fundatam olim ac dotatam Drivaſtenſem Eccleſiam, quam ut ſummos Pontifices ad pecuniam iis erogandam excitarent, quod etiam evicerunt non ſemel: ubi vero altiora cogitantes, majoreſque induentes animos Equeſtre magiſterium mente concepere, præparare fabulam, ac ſternere ſenſim iter unice cordi fuit. Propterea inter arrepta decora Conſtantinopolitanum genus primo memorant, deinde ex antiquiſſima familia Flavia, poſtremo de ſtipite Conſtantini Cæſaris ortos ſe prædicant. Eodem tempore confirmationem privilegiorum ſuorum generatim incipiunt petere, atque ut par eſt, obtinere: paulo poſt privilegiorum dicunt, quæ Leo I. dedit, & Michaël Imperator rata fecit. His ſeminibus jactis latentem tranſitum, ni ſaltus dicendus ſit, advertamus, quo ad Conſtantinianam Religionem perventum eſt. Anni 1576 documentum exhibent, quo inter cætera indultum ipſis a ſummo Pontifice oſtendunt jus *Milites faciendi, ſive Equites Aureatos: at in conſimili poſt duos annos dato facultas legitur faciendi milites Conſtantinianos, ſive Equites ſub regula B. Baſilii, & titulo S. Georgii.* En ut a Militia, ſive ab Equeſtri illa dignitate vaga, ac univerſali, de qua egimus ſupra, ad certum ſingularemque Ordinem res deveniat, qui præfecturam admittat. Non continuo improbari poterat, quod primum aſſerebatur; cum privilegium illud ea ætate vere concederetur, & liberaliori etiam manu annexa illa ſpurios natalibus reſtituendi, doctores, notarioſque creandi: quæ data ſunt circa idem tempus iis quoque omnibus, qui Militum Piorum, Lauretanorum, SS. Petri & Paulli, ac S. Georgii Collegiis aggregabantur, ſive Montibus, ut vocant, in Equeſtrium Ordinum ſpeciem conſtitutis. At furtivum à Militari dignitate ad

Equeſtrem Religionem trajectum cum paucorum eſſet dignoſcere , atque diſtinguere , præcipue ob Aureatæ titulum, ex illa mutuatum, atque huic quoque gratis impoſitum , Conſtantinianus Ordo e nihili tenebris emerſit, ac repente Parochus Andreas imperialis militiæ magnus magiſter evaſit : quam præfecturam ampliſſimam hæredibus ſuis , teſtamentariis tabulis magnifice compoſitis, patrimonii loco legavit. Vix puto fabulæ hujus , quam inter annos 1560. & 1570. ortam ſtatuo, magis perſpicue initium ob oculos poni poſſe.

Viri in hac re aliquantum decepti fama ingens , & ſumma doctrina adducunt me , ut eum ſeorſim refellere operæ pretium putem. Is P. Papebrochius eſt , qui ſimul cum ſociis, Sanctorum hiſtoriam popularibus quibuſdam rumoribus alicubi infectam certis erutis antiquitatis monumentis purgavit utiliter , atque reſtituit. Ubi enim de D. Georgio agens in hunc Ordinem ſermo incidiſſet , quamvis M. Conſtantini inſtitutionem rejiciat, ineptiam ſcilicet ab erudito homine nimis alienam , eum tamen apud Imperatores Græcos floruiſſe aliquando putat , ita ſtatuens. *Ut ut ſit , fuit ultimis Conſtantinopolitani Imperii temporibus aliquis in Oriente Ordo Equitum , à S. Baſilio habentium inſtituta, ſeu regulam, a S. Georgio tutelam ac patrocinium , pro inſigni autem Crucem rubram.* Non accipiatur hic , tamquam vir doctiſſimus Baſilium ipſum his Equitibus jam a fundatione regulam ſcripſiſſe autumet, quod ridicule jactant Conſtantiniani : quaſi vero Baſilii ætas congrueret, & quidquam hujuſmodi innuerent veterum illa , quæ ſumma diligentia in editione *Codicis Regularum* undequaque collegit Lucas Holſtenius de Baſilio , deque ejus operibus teſtimonia. Tantum credidit , ex ejus regula inſtituta iſta poſteriori ævo deprompta: quid autem vere de hac re ſenſerit, ita ad oram libri definit. *Poſt Latinos Conſtantinopoli pulſos inſtituitur eorum imitatione Ordo , initiis Conſtantino M. affictis , cujus Præfectura durat in familia Flavia.* Ex hac familia Jo: Andream Angelum recentiorem amplectitur , cui etiam ab Angelis olim imperantibus originem largitur. At pro Religione Conſtantinopoli inſtituta Joannis Cantacuzeni, quem affert, locus ad rem non facit, quod vel ipſe ſibi ſubolere oſtendit : verba nimirum : καὶ ποὶ τὶς ἐκ τῆς Λατινικῆς στρατιᾶς τῶν Καβαλαρίων παρεῖχε τιμήν: *& quibuſdam ex Latino exercitu Equitum dedit honorem* : ſive Equeſtrem dignitatem contulit , nullo modo ad Ordinem ſpecialem aliquem poſſunt referri : is ſiquidem proprium nomen habuiſſet , quod hic non ſupprimeretur. Militaris ergo dignitas ibi ſignificatur , inter quam & Equeſtres Ordines probe non diſtinguere X.

Digitized by Google

ſexcentos parit errores. Eodem ſenſu ea vox, ut & pro equitatu a Georgio Pachymere adhibita ſæpius eſt. Militiæ vero, ſive Equeſtris dignitatis notitia aliqua in Oriente poſt bellum ſacrum remanſerat, uſus vero aut perrarus, aut omnino nullus, cum eum honorem a Græcis hominibus affectatum non legamus. Sanctum etiam Georgium, ad cujus Templum hæc ſolemnia peregit Imperator, non illum fuiſſe, quem Equitem vocamus, Jacobus Pontanus ſuſpicatur, ſed alium, cui forte a Palæocaſtro Cretæ Urbe nomen adhæſerit τοῦ Παλαιοκαστρίτου. Ad eruditum virum in diverſa trahendum recentis Angli ſcriptoris, cujus verba ibi recitat, nomen non profert, vim aliquam habuit auctoritas. Is vero neſcio an forte Elias Ashmole fuerit, qui in prolixo tractatu ſuo has omnes ad ſatietatem uſque laudandi nugas occaſionem avide arripuit. Quicumque is tamen fuerit, ſeriem fortaſſe eorum Angliæ Scriptorum augere voluit, quibus in genealogiis, quas contexunt, *Non admodum curæ eſt duorum, aut trium millium annorum intercedere anachroniſmos*: neque ex eo aliud legitime inferri poteſt, niſi Angliam quoque Angelorum ſomnia pervaſiſſe, quod etiam quomodo contigerit, caſu magis quam conſilio me inveniſſe memini. Legi enim aliquando in Guilielmi Burtoni Londinienſis diſſertatione quadam, quæ inſcribitur *Græcæ linguæ hiſtoria*, Chriſtophorum Angelum in Angliam profectum eſſe, ibique de Conſtantinianis rebus plurima fabulatum, deque antiquiſſima neceſſitudine inter Britannos, & Græcos, quæ Burtonus claudit aptiſſime: *ita Græculus Anglorum emendicabat benevolentiam.* Papebrochium tamen decepit maxime collectio illa, privilegiorum anno 1610. Romæ edita, quorum multis fidem habuit, hauriens ex iis, ut ipſe indicat, tum *Flaviæ familiæ durantem adhuc præfecturam*, tum alia plura: verum jactitata hæc diplomata, vel nihil penitus probant, vel apocrypha omnino, & conficta ſunt, quod niſi pleniſſime oſtendero, nihil actum eſſe a me in hac quæſtione ultro fateri non dubito.

In notis ad Cantacuz.

The Inſt. of de Garter. Lond. 1672. Sc. Inſtit. Ord. Periſcelidis

Cang. Fam. Byſant. in Præf.

XI. Primo de antiquis diſſerendum eſt, in quibus machina omnis nititur. Agmen ducit Leonis magni ad Martianum Imperatorem epiſtola, qua regulam Militaris hujus Ordinis approbare videtur, & confirmare. At unde emerſit epiſtola hæc numquam niſi in his male factis centonibus viſa? Quî factum eſt, ut eruditos illarum editores effugerit? Ad fraudem vero dignoſcendam ſtylum inſpicere abunde eſt. An quidquam in ea legitur, quod Leonis M. nedum robur, & elegantiam, ſed formulas ut ita dicam, & veluti ſolemnia verba redoleſcat? A pietatis nomine, ut Leo ſæpiſſime, inchoatur quidem.

Non

Non poſſum ſatis admirari veſtram pietatem , & amorem : & nugator vocabulum tranſtulit,uſum non intellexit; non enim id convertit in titulum eo modo , quo *Celſitudine* nunc utimur , vel *Majeſtate* , quod Leo perpetuò facit : *Literas Pietatis veſtræ accepiſſe me gaudeo.* Quid dicendum de votis caſtitatis conjugalis & obedientiæ , quæ ibi memorantur ? An non Leonis M. ævo conveniunt optime ? Quid vero de voto militaris diſciplinæ Conſtantinianis fratribus una impoſito? Auditumne hoc umquam eſt vel illo, vel quocumque alio ſæculo ? diſpeream , ſi ineptius mentiri quiſquam poteſt. Excipit hanc epiſtolam Leonis auguſti , qui Martiano ſucceſſit, diploma , quo jus in perpetuum Equites iſtos creandi Angelorum familiæ conceditur. Qua auctoritate , qua fide diplomatis ante mille annos dati exemplum proferatur , nemo docet : neque ego ſingula excutiam , nec quantum differat ab ejuſdem Leonis encyclicâ , quam Nicephorus Calliſtus recitat, epiſtola perpendam. Satis ſuperque ſit adnotaſſe , Angelos illos commentitios in hac charta , Ciliciæ & Macedoniæ Principes , ac Drivaſtenſes Comites appellari : ac ſi Principatus iſti eo ſæculo in rerum natura haberentur , & tamquam Cilicia , & Macedonia ſibi conterminæ Provinciæ eſſent, & tamquam Comitis dignitas illa ætate regionis dominium ſignificaret : cum nonniſi poſt Carolum M. civitatum judices , & provinciarum adminiſtratores, qui ex comitatu Principis ut plurimum ſeligebantur , ea occupare cœperint hæreditario jure. At nonne privilegia etiam illa in hoc diplomate memorantur , *legitimandi* , *notarios creandi* , & id genus reliqua? Quis hæc niſi poſt octo ſæcula audivit ? Mihi certe antiquas membranas aliquando evolventi ante XIV. ſæculum datam non contigit inſpicere. Quid clauſulas memorem , quidve formulas recenti ævo tantùm , & in curiis noſtris adhibitas ? Quid *Byſantii* nomen , quid *manſeris* pro ſpurio vocabulum ? Satius ſit ad. Iſaacii , quod ſequitur , Imperatoris privilegium , & ad poſtrema , quæ Michaëlis dicuntur , nos convertere. Erutum illud anno 1533. ex Romani notarii tabulariis dicitur , cujus diligentia certe laudanda in cuſtodiendis actis curiæ Conſtantinopolitanæ. At neſcierunt impoſtores , ut hæc diplomata in ſuſpicionem ſaltem aliquam nos adducerent , Græce etiam proferenda fuiſſe ; Græce enim dabantur quouſque res Conſtantinopolitana, Græcumque Imperium ſtetere. Neſcierunt quoque vulgari æra ſignanda non fuiſſe, ſed Græca ; ea nempe , quæ Redemptoris noſtri natalia anno ſtatuit 5508. ſive 5509. Mentio etiam aliqua facienda erat pendentis bullæ ; ſed non omittendus præcipue inſeparabilis ab Imperatorio nomine titulus *in Chriſto Deo fidelis.* Comprobantur hæc omnia ex

Epiſt. 38. ad Mart. Aug.

Nic. Call. Hiſt. l.15 c. 18.

ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστός.

Vide Diarium Italicum tom. 6. pag. 479.

Riſpoſta di Jacopo Grandi intorno a S. Maura pag. 134.

conſtanti uſu quamplurium bullarum Græcorum Imperatorum ejuſdem ævi, quos in pretioſo, quamvis adhuc deliteſcente Codice Taurinenſis bibliothecæ nuper inſpexi: in quibus etiam veluti ſolemnem in fine diplomatum eam formulam notavi, quæ in Privilegio Simeonis Palæologi, Venetiis XXX. ab hinc annis edito a C. V. Jacobo Grandi, legitur: nempe poſt annum dati diplomatis ἐν ᾧ καὶ τὸ ἡμέτερον εὐσεβὲς καὶ τὸ θεοπρόβλητον ὑπεσημήνατο κράτος. Quid immorer in Iſaacii titulo, quid in incongruenti proœmio, & in ea diplomatis parte, ubi *Baccalaurei* quoque inter Græcos locum inveniunt? quid dignitates perſequar, quæ memorantur, cum pro iis, quæ floruerunt in Græco Imperio, Latina videantur, & antiqua nomina eo temporis, & eo loci numquam recepta? Diſputatio hæc profecto eſt, quæ Montefalconium aliquem non requirat, neque doctiſſimam Palæographiam ſuam. Loquutum me aliquando memini cum viro non inerudito, qui a poſtremis duobus Michaëlis Palæologi diplomatis non omnino abhorrebat, cum vicinior ætas fidem aliquam per ſe conciliare videretur: at hæc quoque nihilominus ineptiſſima. *De Civitate Drivaſti, nec non Eccleſia cathedrali una cum domo Canonicali* eo tempore ab Angelis fundata nihil loquor, neque de ſolemnibus verbis recentiorem Romanam Curiam aperte redolentibus, quam uſus etiam compendiario ſtylo ſcribendi, *Drivaſten*, *Dyrachien*, ſatis prodit. Unnm noto: a Michaële annis 1293. & 1294. Imperii ſui 33° & 34°. hæc diplomata dicuntur data. At annis his qui imperaret Michaël erat ~~nullus, ſi enim de primo~~ ſermo eſt, qui Latinis ejectis Conſtantinopolim anno 1261. recuperavit, is anno 1282. deceſſit, ut ex Phranze, Gregora, Pachymere, aliiſque diſcimus: ſi de Michaële Andronici majoris filio, is numquam imperavit ſolus, cum ante patrem obierit; nec ante annum 1295. in ſocietatem Imperii a patre adſcitus eſt. Liquido ergo conſtat, totam rem nugatoriam eſſe.

XII. Sed quoniam de eo genere documentorum dictum eſt, quæ ab antiquis temporibus repetuntur; deinceps de iis, quæ ad recentiorem ætatem pertinent, diſputandum. Ficta iſta quoque, & ſuppoſita Carolus Cangius judicaſſe videtur omnia, cum ita de Angelis loquutus eſt. *Quo ejuſmodi næniis poſteris illudant, confinxere varia chartarum inſtrumenta, quæ perſpicue falſitatis notam præferunt.* Hujus autem notæ ſunt plurima, eaque præſertim, quæ momentum aliquod afferre viderentur. Falſa enim illa eſt *Sententia Sacræ Romanæ Rotæ*, diverſo titulo aliàs indicata, in qua fabulæ fundamenta colli-

Digitized by Google

guntur, quorum maximum ſupradicta S. Leonis ad Martianum epiſtola eſt. Ibi cauſa ſimulatur adverſante nemine, argumenta ineptiſſima, auctores falſo citati, quæſtio non illius fori, & nullo denique ſervato ritu ſententia Romanæ Rotæ, cujus neque inter deciſiones, neque alibi veſtigium reperire eſt. Falſa pariter *Donatio* illa anni 1540. quæ Angelorum imperia, & titulos primo in ſcena profert. In ea communitas Brianæ fratribus Angelis eorumque poſteris ob Parochi munus a Paullo bene geſtum jus, quo utebatur, eligendi, ac præſentandi donare dicitur. Quænam nova hæc Veneti juris regula, ut Communitas donare poſſit? quinam gratiæ referendæ inauditus modus, ut Rectori benemerenti jus patronatus in perpetuum donetur? Hic etiam Parochi anterioris nomen corrumpitur, quod Cangium decepit: nam inter donationis cauſas Demetrii merita enuntiantur, qui patruus Paulli Angeli fuerit. At in Leonis X. bulla, cujus inter acta authentica alibi mentionem fecimus, qui Paullo reſignavit. *Demetrius de Franchis Clericus Tarviſinæ Diæceſis* dicitur, & fruſtra in hac Donatione *Demetrius de Angelis*, *alias de Franchis* conſueto lepore appellatur. Delendus itaque Demetrius hic ex Cangii genealogia, ubi eum, tamquam Pauli Præſulis fratrem ponit, interjecti temporis ratione non habita, neque repugnantiæ, ut alter ex fratribus Dyrrachii Archiepiſcopus, alter florente adhuc in Græcia familia, anguſti in Italia pagi Parochus eſſet. Demetrium Francum Sanſovinus memorat in corrupta, quam dedit, Turcicæ Hiſtoriæ editione; eumque ſatis lepide Pauli Archiepiſcopi conſobrinum, & *Scanderbegii ab expenſis* appellat. P. Papebrochius fidem præcipue adhibuit Sententiæ quæ affertur ſub Proſperi Farinaccii nomine, tunc Auditoris Cameræ L. T. qua videtur condemnare Georgium quemdam a Cephalonia, eo quod Heracliæ familiæ nomen gerere, Equiteſque Conſtantinianos creare auſus eſſet. Si hæc, & ſimilia quædam, quæ adducuntur, judicia vera eſſent, argui poſſet, valde illa ætate id inſaniæ percrebuiſſe, ut infimi homines arbitraria cognomenta ſumerent, & equeſtrem honorem largirentur. Verum Sententiam iſtam [qua tamen nihil evinceretur] nedum alibi, ſed potiſſimum ubi recenſeri debuerat, cum Romæ eſſem, fruſtra perquiſivi, non exiguo quidem tædio ac labore. Inveni tantummodo in archivo Aud. Cameræ acta quædam hujus cauſæ in Broliardo [ita actorum libros appellant] Belgii notarii ab anno 1590. ad 1597. at ex iis fraudem ſubolfeci; ita ut litem hanc ad fidem aliquam apud poſteros aucupandam ab impoſtore inceptam vel nullo contradicente, vel prævaricatore ſibi appoſito facile credide-

Pag. 47.

Pag. 62.

Famil XIII.

rim : adverſarii ſiquidem acta nulla extant ; & cum ſententia, quæ exhibetur XIII. Octobris promulgata dicatur, in iis actis Decembri menſe adhuc ad ſententiam citatur. Sed quid moror? iſtiuſmodi inſtrumentorum farraginem ſingulatim pigeat excutere, ſicuti, & Bullarum, quarum neque originalia, ut vocant, oſtenduntur, vel indicantur, neque in Bullario viſuntur exempla. Satis ſuperque ſit monuiſſe, inter chartas, quæ hoc nomine ornantur, facillime veras a falſis diſcerni poſſe, initio tantùm inſpecto. Nam quæ ut legitimas adduxi, incipiunt ex. gr. *Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei* in capite verſiculi, ut loquuntur, qui Bullarum uſus eſt : at quæ nænias continent titulorum atque nugarum habent ex. gr. *Paulus Epiſcopus S* : in medio ad formam tituli : ignorarunt ſcilicet falſarii hunc morem in Brevibus ſervari, numquam vero in Bullis, cujuſmodi iſtas vocant, & quas ſimulare mens fuit. Monendum denique, plurimarum falſitatem ſatis elucere primo ex diverſitate, atque interpolatione, quam deprehendet qui varias editiones conferet ; ſecundo ex ſtultiſſimis, quas continent, rebus : velut cum ſolemniter interdicuntur qui negent *ad ipſos ſpectare Conſtantinopolitanum Imperium* ; tertio demum ex ridicula titulorum repugnantia ; cum eumdem hominem altera Sereniſſimum appellet, altera Magnificum ; cumque eodem anno in hoc volumine Angelos videamus ditiſſimas Commendas diſtribuentes : in illo vero *vitam aratro tolerantes*. Quin Bulla exhibetur p. 88. quæ eo adactos dicit, *ut vix vitam ſuſtentare valeant* ; pag. 76. alia ejuſdem Pontificis oſtenditur, quæ poteſtatem ipſis largitur tradendi Equeſtria inſignia, & *monetas aureas, & argenteas imprimendi*.

Glor. della Fam. Comn. fol. 106.

XIII. Quemadmodum tamen inter acta genuina quædam agnovimus ſupra, ita inter recentiora diplomata, etiamſi ut plurimum riſu excipienda, veluti cum a Ferdinando Bavariæ Electore ædes Ordini Conſtantiniano Monachii datas, commendaſque brevi inſtituendas mentiuntur, quædam tamen vel in collectione anni 1671. vel in eorum compendio Hiſtorico deſcripta, vere obtenta, ſive extorta, ac ſurrepta fuiſſe inficiari non perſtiterim ; neque de his quidquam ſcrutari operæ pretium duco. Quid enim inde? Ampliſſimum ex his, quod Leopoldi Auguſti eſt, privilegiorum ſuorum confirmationem Militiæ huic, ejuſque Magiſtris indulget ; *Si tamen ipſe Ordo jam ante in hac poſſeſſione ſit, & quatenus privilegia hac in cujuſcumque præjudicium non cedant.* His additis clauſulis ut jura ſua rata ſint petenti quis repugnet? an e re Germanici Imperii erat in ſupplicantium fidem in-

Digitized by Google

quirere? clamore perſonant, veritatem Ordinis hic in ſuppoſito, & in confeſſo eſſe, ejuſque præfecturam a Conſtantini ævo uſque in hanc diem ab Angelorum familia numquam avulſa, cùm in hoc, tùm in aliis diplomatibus diſerte legi. Mirum profecto eſt, quantum indocto vulgo diplomatum majeſtas imponat, cum enim membranam, ſigillumque peramplum vident, quæ ibi continentur redargui nullo modo poſſe pro certo habent: quamvis revera præter id, cujus gratia data ſunt, quæ adduntur omnia ut plurimum falſa ſint, ac flocci facienda. An vero Cancellariarum Scriptores, & Miniſtri ſeliguntur ex eruditorum choro, ut de antiquis rebus idonei judices ſint? utque decipi non poſſint? præterea tenenturne ex officio hiſtoriæ fidem excutere? imo ad poſtulantium placitum quæ ſuggeruntur deſcribunt hilariter omnia, atque etiam amplificant aliquando, ut liberaliori manu excipiantur. Ita fit ut diplomatum enuntiationibus nihil ſit inanius. Ridere ſoleo quam ſuaviter, cum inter domeſtici tabularioli mei membranas quædam hujus coloris in manus incidunt. Diploma eſt anni 1488. quo Civitate Romana Maffæi Veronenſes donamur: in eo ex Bononiæ olim dominis, atque antea Piſtorii declaramur ſolemniter, hincque hauſerunt forte, qui hoc idem tradidere ſcriptores aliqui: at quis novum hoc anecdotæ hiſtoriæ arcanum non admiretur? In inveſtitura quadam ſatis antiqua Maphæi a Græco Alpheo feliciter deducimur: belle factum, quod non ab Acheloo, qui *vires in cornua ſumpſit.* At nonne accidit quotidie, ut diplomata, quibus Comitis, vel Equitis dignitas confertur, magnifice adornentur nomine tamen omiſſo, ita ut ſplendidæ narrationes illæ cuicumque ex viliori plebe, cujus in lacuna reponatur nomen, pro libito adaptari poſſint. Iſtiuſmodi integram capſulam aliquando vidimus, quorum ſingula juliis octo vænibant. Hæc autem ſpatio ad excipiendum nomen relicto privilegia non a privatis tantum quibuſdam proceribus effunduntur, verum quandoque a Regiis, Polonicæ maxime aulæ, miniſtris. Quod ideo memoro, quia ad patefaciendam diplomatum vanitatem valde conferre puto.

Metamorph. lib. 8.

XIV. Cum vero quæ Pontificio nomine decorantur acta, & diplomata præcipuam majeſtatem præ ſe ferant, præcipua etiam cura, quæ pro hac fabula cumulantur, percurrenda exiſtimo: neque enim omnino negaverim authentica quædam eſſe, cum poſt longam indaginem repererim Romæ, & in Archivo A. C. ex actis cujuſdam Maſſaruccii Monitorium illud anni 1603. ipſe perlegerim, quod pag. 130. oſten-

tatur., & in quo Bullis etiam citatis nugæ omnes iſtæ celebrantur. Ut hæc omnia ad rem noſtram nihil facere, neque ullam mendacio auctoritatem conciliare oſtendam, a Monitoriis incipiam, quæ cum iis confundenda non ſunt, quibus in re gravi Pontifex ſummus ad reſipiſcendum hortatur. Quæ enim ab Auditore Cameræ, forenſi nempe judice, promulgantur, nihil ſunt aliud, quam acta Romanæ curiæ: quin ex motu proprio S. M. Pii V. anno 1570. ablata huic judici poteſtas eſt Monitoria generalia cum cenſuris ob quamcumque cauſam decernendi. Noſtra hæc igitur citationis merè vim habent, quæ paſſim inter litigantes procedunt: & quid denique in iis concluditur, niſi ut a juribus, ac privilegiis ſuis Angeli non deturbentur? cur autem hoc poſtulanti non concedatur a judice, nemine contradicente? quod ſi hac occaſione ſtultiſſimis ampullis locus quæritur, ea omnia ex narrantis fide pendent, & vaniſſimis diplomatum enunciationibus comparantur. Ridicula teſtium examina, & id genus cætera libens prætereo, ut me ad Bullas conferam, quæ perſtringunt oculos, atque animos ſpectantium abripiunt. Primo itaque notandum eſt, plurimas, quæ hic Bullarum nomine exhibentur, Bullas non eſſe, ſed Brevia, quod longe diſtat. In his enim non ut in illis *Pontificia dignitas explicatur*, neque plumbeum adhibetur ſigillum; cum perſæpe indulta quædam nullius momenti contineant, & ad rem privatam pertinentia in materia admodum levi. Unde eſt, ut inſcio Pontifice per miniſtros concedantur, a Prælato viro Brevium curatore tantùm ſubſcripta. Quæ vero hic recenſentur, ejuſdem omnino generis ſunt ac ea, quibus Comitis Palatini titulus tribuitur, qui in perſonam deſinit, etiamſi ut plurimum hæreditario jure uſurpetur: hæc autem a Scriptoribus, ut vocant, negantur nemini, qui XXV. ſcuta ipſis erogare non dubitet; præſertim ſi nobilis ſit, vel rationem aliquam afferre ſciat. Bullæ tamen ſint etiam, ſi placet, & ne inutiliter diſputemus, authenticæ ſint quæ pro Ordine Conſtantiniano afferuntur: non propterea Pontificiam majeſtatem omnino nobis obtruderent, cum ſolemnes non ſint, neque in re gravi, neque ex iis, quæ Conſtitutiones Apoſtolicæ vocantur, & Pontificii juris partem conſtituunt. Ab indocti etiam errore vulgi diligenter cavendum, autumantis ea omnia, quæ in Pontificiis Bullis leguntur, Pontificium aſſenſum involvere; ab iis enim, quæ ibi affirmantur, ac probantur, diſcernenda ſunt quæ uſu recepto ceteriſque Principibus communi ex ſupplicantium fide exponuntur. Sciendum inſuper Pontificem Maximum, judicem ſummum apud nos eſſe in iis omnibus, quæ fidem ſpectant, aut mores, non ita vero in iis, quæ ad

Vinc. Petra tom. 1 pag. 5

hiſtoriam pertinent: propterea in fidei, vel morum definitionibus aberrare non poſſe conſtanter defendimus; at in quæſtionibus non a Theologis, vel Sacrorum Canonum interpretibus, ſed ab Hiſtoricis, ac eruditis diſcutiendis, non eadem auctoritate pollere credimus. Quod obtinet præcipue in rebus ad Eccleſiæ incolumitatem nullo modo pertinentibus, quæ contradicto judicio non tranſiguntur, quarumque inquiſitio non inſtituitur: diverſa enim ratio eſt, ubi facta quoque cum dogmate forte conjuncta diligenti examini, maturoque judicio commiſſa ſint. At quibuſvis Pontificum epiſtolis *quis neſcit*, ait P. Sirmundus, *ubi aliquid narrando pronuntiant, tantum eſſe auctoritatis, & fidei, quanta illorum eſt qui ſuggeſſerint?* Ita vir doctus in diſſertatione de duobus Dionyſiis, ubi Pariſienſem Epiſcopum alium eſſe ab Areopagita contra communem totius Galliæ ſententiam, epiſtola Zoſimi Papæ ad Gallos, Martyrologis, aliiſque auctoribus, ac præcipue novem ſæculorum traditione munitam, perſpicue oſtendit. Injuria ergo a quibuſdam Pontifices inſimulantur, velut infallibilitatem [hoc enim verbo uti ſolent] univerſim ſibi arrogent; in quo a contrariis inter ſe Bullis eos vanitatis redargui putant. Neque enim in mentem iis venit umquam, ut in factis non revelatis, nec definitis, ſed omnino indifferentibus decipi non poſſe crederent: atque ex eo eſt, ut veritatis lumine aliquando emergente Bullam Bullæ opponant: quin, ut ex D. Bernardo, *hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica ſedes, ut non pigeat revocare quod eſſe a ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Epiſt. 20. Verum tantum abeſt, ut diplomatum ſuorum narrationibus fidem haberi velint, ut perſpicuum ſit, nullos alios Principes in hoc cavendo tam ſollicitos eſſe: religioſiſſime enim in Pontificiis, ſicuti & in his ipſis, formulæ inſeruntur, *ut aſſeritis, ut aſſeritur, ſicut accepimus:* quibus ſolemniter monent, nihil ſibi de iis rebus conſtare. Satis igitur patere arbitror, nullum omnino fabulæ noſtræ momentum accedere ex Bullis omnibus, quæ oſtentantur: quod ideo aliquanto accuratius perſequutus ſum, quia iiſdem fere argumentis oſtenditur, nihil pariter huic impoſturæ prodeſſe confirmationem eam, quæ Romæ extorta jactatur. Ubi enim quiſquam ſacræ Congregationi Rituum inſtitutum exhibet, ex omni parte pium, cur ab ipſa rejiciatur, vel improbetur? quod vero id à Conſtantino male repetatur, vel a Carolo Magno, quid hoc ſacri Magiſtratus intereſt, cui de ritibus, ac de moribus, non de hiſtoria, vel de genealogiis inquirendum eſt? ab eo tamen vetitum aliquando intelligo, Conſtantiniani nomen huic Ordini appingi ſine clauſula, *ut putatur.* Sed quidquid ſit, nihil ex

Digitized by Google

hac admiſſione deduci poſſet, niſi Regulas occaſione hac Romano examini oblatas non abhorrere a Chriſtianis Legibus, a bonis moribus non deflectere: cur autem non caſtigate tranſcriptæ fuerint, ex Equeſtrium Ordinum ritualibus, & ſtatutis excerptæ jam, ac ſæpius editæ? Ceterum de Pontificiis confirmationibus, ac Bullis ita nuper ex Romanæ Rotæ deciſionibus cœtus Cardinalium Tridentini Concilii interpretum a ſecretis Vincentius a Petra: *quatenus privilegia non ſint vera, Bulla confirmans ea non habet robur.* De loco etiam in Pontificio ſacello Conſtantinianorum Procuratori generali adſignato verbane facienda ſunt? at quid refert, quod Baſilianos ſe aſſerentes cæremoniarum magiſtrum aliquem deceperint? nonne ex eo ſatis patet inſania, quod Equeſtres Ordines nec hujuſmodi generalem Procuratorem habeant, neque in ſacello locum? cur ex hoc Pontificia comprobatio jactetur? ſcilicet is Pontifici Maximo labor eſt, & negotiis graviſſimis implicitum ſemper, obrutum, ac circumſeptum ea etiam ſollicitat cura, ut ejuſmodi res ad ſe revocet, atque audiat ipſe, & expendat.

Monachii. 1569. Venet. Comment. ad Bull. tom. 1 pag. 30.

XV. Sed tot memoratis Drivaſtenſium diplomatis, & privilegiis, nolim credatur, feliciter hæc mendacia ſemper ceſſiſſe, hominesque veluti præſtigiis quibuſdam numquam in ſuſpicionem adductos. Anno 1671. ſacræ Concilii Congregationi rogatio quædam exhibita eſt, in qua de fictitio hoc Ordine ſimul cum legitimis mentio erat, ut ex reſcripto ſimul cum aliis hic quoque admitti videretur. At Congregatio de aliis nominatim hoc omiſſo judicium tulit. Rurſus de hoc ſpeciatim quæſitum eſt; tunc vero legimus viros illos graviſſimos *cenſuiſſe; pratenſos milites, qui Conſtantiniani nuncupantur* an clarius poterant ad fabulas amandari? Apparet ex privilegiorum collectione anni 1671. jam ante annum 1593. ſacri Palatii Magiſtrum horum documentorum editioni interceſſiſſe; quæ cum nihil habeant contra mores, vel fidem, liquet ex ſola falſitate rejecta eſſe. Intellexi etiam nuper P. Bonnanni novum opus ita a doctiſſimis Cenſoribus admiſſum eſſe; ut prudentiſſima tamen adprobatione ab omni nota ſe purgent, optime innuentes hiſtoriam ſibi non probari: quin auctorem etiam ob Conſtantinianum hunc Ordinem dicuntur compuliſſe ad propugnationem ſuam, ſaltem in Italici nominis gratiam, aliquo modo cohibendam. Memini etiam paucis ab hinc annis narratum mihi, cum hujus Ordinis adprobatio enixe peteretur, reluctatos diu eſſe ſacros judices, quod e tribunalis majeſtate non videretur de fabula rem habere. At his ipſis diebus ſolemnem, extremamque Conſtantinianæ

pag. 80.

Militiæ

Militiæ confirmationem nequidquam Romæ non poſtulari modo, ſed etiam flagitari audio. Quod eam vero non una vice tantùm obtinuiſſe jactent Conſtantiniani, falſo dici credendum eſt; quid enim ergo petunt adhuc, & non obtinent? id quoque expendendum: cum antiquiſſimum hunc Ordinem velint, recepit illum ne umquam probavitque Apoſtolica Sedes? ſi affirmant, cur modo adprobationem quærunt, qua non indiget qui obtinuit ſemel? ſi negant, qua fronte Equeſtris Ordinis hiſtoriam tradunt, cui ſanctæ Sedis auctoritas tot ſæcula numquam acceſſerit? Innocentii XII. quod oſtentant, Breve eorum vota non implet, neque Ordinem ratum facit: at ſi faceret, accidit interdum, ut *Sedes Apoſtolica ad quam negotiorum multitudo undique confluit, curis omnino plena innumeris* nonnulla indulgeat, *quæ cauſis deinde cognitis quandoque revocat, & annullat*: Ita B. M. Pius V. in *revocatoria*, quam in Bullarum collectione quadam Romæ edita nuper legi. Verum cum de oppoſitionibus ſermo fit in chimæram hanc adornantes ſubortis, quid moror unum pro cunctis addere? an fluctuandi erit amplius locus, ubi oſtendero, Joan. Andream illum, qui primus Conſtantiniani Ordinis hæreditatem adivit, primuſque ſerenitate donatus eſt, ob hunc Ordinem ipſum Romæ aliquando criminaliter inquiſitum, & lege Cornelia de falſis damnatum eſſe? res omnium oculis patet, dummodo accipiantur *reſolutiones criminales Petri Caballi*, in quibus fato quodam monumentum facti ſervatum eſt. Ibi ad Caſum 176. ubi de iis agitur, qui Equeſtres Ordines falſo jactant, pagina in editione quam pænes me habeo, CCC. hæc leguntur: *Audivi a magnis Criminaliſtis, quod alii ob tale delictum fuerunt miſſi per loca publica Civitatis mitrati, inſidentes aſino, & inſuper condemnati ad Triremes: & cum alias quidam Jo. Andreas Angelus falſo ex Flavia familia Principem, & magnum Magiſtrum aſſertæ Religionis S. Georgii ſe verbo, & ſcriptis palam & publice aſſereret, & Equites ſub dicto prætenſo titulo S. Georgii de facto uti aſſertus magnus Magiſter dictæ prætenſæ Religionis crearet; & per diverſas mundi partes, etiam ultra montes, poteſtatem aliis dictos aſſertos Equites creandi concederet: inſtante Illuſtri & Excell. D. Jo. Jacobo Nerotto Procuratore fiſcali in urbe, ſic etiam requirentibus Miniſtris Sacræ & Illuſtriſſimæ Religionis, & militiæ D. Stephani ob crucem, quam de falſo creati milites deferebant, omnimodam ſimilitudinem habentem cum ea, qua ejus veri, & inſignes Equites utuntur: fuit in urbe lata ſententia anno* 1593. *die* VIII. *Auguſti per adm. magn. & exc. D. Valerium Pinzochum L.T. in criminalibus Ill. & Rev. D. Vicarii generalis S. D. N. P. Clementis VIII. per quam dictus Jo. Andreas, tunc in urbe degens, condemnatus fuit in pœnam perpetui exilii ab ipſa urbe, & toto ſtatu Eccleſiaſtico, confiſcationis om-*

Col. diverſ. conſ. Rom. 1579. p. 89.

Florentiæ 1606. in fol.

E

nium bonorum ubilibet exiſtentium; privationis omnium, & quorumcumque aſſertorum privilegiorum, ſi quæ obtinebat, & inhabilitatis ad alia inpoſterum obtinendum, & TRIREMIUM ad arbitrium, ſeu beneplacitum. Quæ ſententia mox de anno 1694. die 26. Septemb. confirmata fuit per aliam ſententiam.

Quid reponent innumeri, atque percelebres ſacræ Conſtantinianæ, Angelicæ, Imperialis, Auguſtæ, Aureatæ militiæ propugnatores? quid hiſtorici iſti, qui ejuſdem illius hominis effigiem Imperiali paludamento gemmiſque, atque auro coruſcantem nobis exhibent? Non me fugit, anno 1611. libellum quemdam ab Angelis vulgatum, in quo gratis pro more aſſeritur, ſententias illas poſt annos aliquos revocatas fuiſſe: verba iſta ſunt, & nugæ meræ. Quod a te animadverſum velim, id præſertim eſt, ut magni Magiſtri iſti Imperia perpetuo buccinantes, ii demum homines eſſent, qui ubi delinquerent, damnarentur ad triremes. Splendidum ſane intuentibus ſpectaculum, Sereniſſimum iſtum Remigem ad avitum Imperium, ut commendas inde, & Prioratus ampliſſimos in fidos ſuos plena manu profunderet, totis humeris navigantem. Sunt qui admirentur nebulones iſtos in falſi pœnam ſæpius non incidiſſe; ſed hujuſmodi fraudes cum nulli cordi ſint, delatore vacant; cumque nulli officiant, ex officio judex ut plurimum in eos non agit, & riſu tranſmittuntur: quod autem aliquando, ut vidimus, actum ſit, id caſu magis quodam evenit, quam conſilio: quod ſcilicet piguerit S. Stephani Equites ob crucis ſimilitudinem cum circulatoribus, & ſtultis hominibus Conſtantinianam gerentibus confundi. Ne vero Drivaſtenſes noſtros omnino fatuos judices, ſcias, oportet, non ex ſola vanitate chimæras iſtas commentos eſſe, nam ex iis vitam utcumque tolerabant. Fabulæ ſignificationem intelligere potes ex eorum compendio hiſtorico, ubi ad calcem impenſa deſcribitur novo Militi injuncta; quæ etiamſi ridicule amplificetur, ut cætera, ſcuta tamen aliqua eos non ſemel abraſiſſe, procul dubio eſt. Notanda etiam charta quædam eodem libello recenter, ut ex majori forma patet, inſerta, poſtquam altiorem fraudem moliri cœperunt. In ea edicitur, ut ſi aliquando magnum Magiſterium in alium quemcumque caderet, ſtet hoc ſemper, ut familiæ Angelæ Veneti aliquot ducati ab accingendis perſolvantur. Figmentum ergo iſtud apud decoctores pro fundo fuit; hincque ingenium ad tam mirifica excitatum: nimirum ut noſti.

Juven. Sat. III. *Graculus eſuriens in Cælum, juſſeris, ibit.*

Quod tamen ſine ulla præſtantiſſimæ illius nationis nota dictum velim; ex ea enim viros novi cum perſpicaciſſimo ingenio, tum veteri etiam præditos virtute: quin conſtanter

dicitur plures ex recentibus his nugatoribus Græcum ſanguinem falſo mentitos eſſe. Ceterum non defuiſſe qui ære aliquo chimæram emerent, mittamus admirari: obſcuri enim homines deſunt numquam, quibus ſinum cruce inſignire, quæcumque illa tandem ſit, idem videatur ac nobilitatis larvam aliquam ſibi imponere. Ne quem tamen immerito videar inceſſere, ultro fateor nihil obſtare, quo minus bonæ etiam notæ ac honorandi generis viri, magnis nominibus decepti, hujus forte Ordinis inſignia acceperint aliquando.

XVI. Re ad hanc evidentiam perducta, nihil reliqui eſt, niſi ut ſcriptorum, qui hujus Ordinis nomine terrarum orbem implevere, quam levis ſit autoritas, quam ſuſpecta fides, raptim attingam. Cum inter iſtos ita Bernardus Juſtinianus præfulgeat, ut quod ſparſim cæteri tradidere unus complexus ſit, ex ipſo judicium de omnibus ferre poſſumus: quem cave in primis Veneta nobilitate inſignem credas, quamvis operi præfixam effigiem ſuam Juſtinianorum heroum imaginibus ſplendide circumvallaverit: neque ex hoc tamen honeſtiſſimo ejus generi, quodcumque tandem ſit, vel dignitati etiam ne minimum quidem detractum velim. Illum vero, cum magnæ crucis Equitem ſe inſcribat, mirari non debemus tanta titulorum ſpecie obcæcatum eſſe; cumque priſca, ut audio, probitate ſit, a tot impoſtorum fraudibus circumventum; a quibus ut ſibi caveret, alia ſtudiorum ratione ipſi opus erat, quam quæ apparet ex ejus ſtylo. Elegantes icones quibus liber in pretio eſt, ſingulorum ordinum veſtes, ſive e re ipſa, ſive ut plurimum ex ingenio repræſentantes, mutuatas putaret aliquis ab Aſcanio Tamburino, apud quem jam ab anno 1661. ſe vidiſſe narrat P. Papebrochius *prælo paratum duorum grandium voluminum opus in quo præter origines ac hiſtorias cernebantur ſingulorum Ordinum Equites in ſuo habitu, imaginibus undique conquiſitis*: quod ineditum opus, in catalogo vir. illuſtr. Vallis-umbroſæ a Venantio Simio memoratum apud Mediceos Principes etiamnum optime cuſtoditur. Quomodocumque res ſe habeat, fortunavit certe ſidus aliquod commentitias has imagines, cum P. Bonannus, ut librorum ſeries augeatur non in mentis, ſed in oculorum gratiam inſtructorum, eaſdem iterum editurus propediem ſit, de Conſtantinianis ampullis non modo LXXII. Imperatores Ordinis Magiſtros, & S. Leonis confirmationem a Juſtiniano ſumens, verum etiam ſummi Præfecti, Equitum magnæ crucis, & juſtitiæ, & effigies alias poëtico ingenio excogitatas æmulans, & in Urbis luce audacter proferens. Quod attinet ad Equeſtrium Ordinem catalogum, itemque ad hiſtorias, Archontologia pluresque auc-

Mens. Apri. in S. Gorg. pag. 159.

pag. 25.

Digitized by Google

tores alii hiſtoricis noſtris ex ſcribendi tantum fuere; niſi quod eorum
quilibet ingenii ſui ſpecimen novo aliquo addito invento ſtuduit exhibere. Bernardus noſter etiamſi xx. circiter Ordines ante ſacrum
bellum inſtitutos laudaverit, quod ab ipſo Vallemontius etiam bona
Elem. de l'hiſt. t. 3. l. 6. fide ſumſit, primatum Conſtantiniano non eripuit; quem ut aſſereret, Magiſtrorum a Conſtantiniano M. uſque ad *Principem & Ducem* Jo.
Andream Angelum *nunc Regnantem* feliciſſimam numquamque interruptam ſeriem tradit. Quid memorem ab his Equitibus Phœniciam,
pag. 42. Ægyptumque Romano Imperio olim acquiſitas? quid Gothos ab
Hiſpaniis expulſos? quid ex Angela familia LXXII. Imperatores?
quid ex Equeſtri hoc Ordine SS. Demetrium, Procopium, Hippolytum, Mercurium, Martinum, Theodorum & Geminianum? omnia
pag. 29. hæc in pagina una. Ut vero unicuique ſuum, adnotandum eſt gerrarum harum, quæ & dicuntur, & creduntur ſtultiſſime, inventorem maxima ex parte Juſtinianum non fuiſſe, ſed ut plurimum exſcriptorem
Teſoro Mil. de Cavall. en Madrid 1642. fol. tantum: hauſit ſiquidem miſer ex Hiſpano Doctore *Joſepho Micheli*
qui in his rebus multus, & ad ſummam impudentiam ineptus uſque
eo deſipuit. At quæ ex Alexandro ab Alexandro adnotavit, ſibi uni
debuit; ubi ſiquidem in *Genialibus diebus*, quæ de Equeſtri Romanorum ordine vir doctus diſſerit, forte legiſſet, de Religione militari agi
Gen. D. l. 2. c. 29. pag. 4. autumavit: hinc eo dicente Romanos nefas duxiſſe *civem novicium*
[cui ſcilicet paulo ante civitas data eſſet] *inter Equites adnumerari*,
Auctor noſter hinc erutas conſtitutiones dicit, ut noviciatus anno
probent, qui in Equeſtres Ordines admittendi ſunt. Rurſus cum memoraret Alexander, tempore Fabii Rutiliani cautum eſſe, ne cui pater, avus, aut maritus *Eques Romanus fuiſſet*, *quæſtum ſui corporis faceret*, explicat hunc locum de vetita Equitibus Romanis mercatura;
atque hoc obtinere his etiam temporibus affirmat, ut mercimoniis
dediti ægre in Equeſtres Ordines recipiantur. Ex eodem penu *Compendium hiſtoricum* depromptum eſt, in quo ſe ipſum hic Auctor ſuperavit: ab alio vero etiam ſuperatum umquamne crederes? quis tamen palmam hanc Carolo Zepedæ invideat? qui de Conſtantinianis
id Hiſpanice volumen digeſſit, quod ſi quis æmulari data opera ſtudeat inſanias omnes, & vana ſomnia congerens, fruſtra laboret. Immenſa tantummodo prodigia, perpetuaſque appariciones velim legas,
nec non hiſtoriolam de Conſtantini corpore cum hujus Ordinis torque invento: quod tamen opus a pluribus multæ dignitatis viris tot
circumquaque elogiis refertum eſt, ut nullum aliud magis. Memoratos ſcriptores libellus præceſſit Andreæ Guarini nomine, ſub quo tamen Andream Angelum latuiſſe ſuſpicio eſt: majorem partem ordo

Conſtantinianus implet, qui primo ingreſſu ex Patriarchis ortus poſt diluvium dicitur, ſeptem ex ſacris paginis ad confirmationem locis adductis. His adjungendi Gallici aliquot libri, quorum auctorum recentior ad Juſtiniani exemplum properans turpiter ineptivit, & plura effutiens nominum figmenta, vel portenta potius, futileſque omnes, & commentitias de Conſtantiniano Ordine ſententias colligens, illos etiam Galliæ ſcriptores forte æmulari maluit, qui Equeſtrem dignitatem in Geneſi legunt, & in Joſepho, illorumque veſtigiis inſiſtere, qui ex Dionyſio Areopagita illuſtriores Galliæ familias deduxerunt. Iſtius modi ſunt qui Ordinem hunc ex profeſſo fovent, atque amplificant: quantum vero auctoritatis pondus ex hujus notæ ſcriptoribus accedat, ipſe judica. Eos autem, qui alio properantes per incidentiam, ut dicit, calculum addidere, & nimis longum eſſet omnes enumerare, & minus neceſſarium. Ea fuit ratio potiſſima, cur in magnum numerum creverint quia iis omnibus, qui de Crucis laudibus egerunt, multum viſum eſt argumento accedere, ſi viros plurimos, ac præſtantiſſimos uſque a IV. ſæculo honoris gratia crucis ſignum geſtaſſe, narrare poſſent. Fac alio inſigni Equeſtres Ordines uſi fuiſſent, jam hæc omnia pro Conſtantinianis teſtimonia exareſcebant, & in eorum hiſtoria Conſtantino nullus erat locus. Auctores quidem eſſe magni nominis apud vulgus, qui Ordinem laudent, non inficior, velut J. B. de Luca: at ejuſne in his rebus æſtimanda ſententia ſit, qui *Danielem & Mardochæum* Equites creatos affirmat? Ex hac turba qui ſæpius, & majori pompa citantur, tres omnino ſunt: Auguſtinus Monachus, Andreas Mendo, & Joannes Caramuel. Primus uſque ab anno 1579. *de Equitibus Conſtantinianis*, *ſeu Drivaſtenſibus* mentionem faciens, *eis*, inquit *ob recuperationem S. Crucis ab ipſis factam Heraclius inſulam Cretæ tradidit*, quapropter in ea *urbem Drivaſtum* [Albaniæ oppidum eſt] *ædificarunt.* P. Mendo in *Diſquiſitionibus* ſuis, poſtquam de *Briana oppido* Magni Magiſtri ſede, de aureo Conſtantini torque, & de ſanctis ex hoc Ordine plurimis diſſeruit, Equites iſtos *Angelicales* appellari ait *ab Angelo, qui crucem attulit, & vocem protulit.* Caramuelis plurimorum pariter, ingentium, ac laudatorum voluminum auctoris hæc accipe CAROLUS MAGNUS *nullius exemplo militiam Religioſam Equitum regularium inſtituit; Hi* AB INSTITUTORE CONSTANTINIANI *dicti: vocantur etiam Angelini, vel a puritate vitæ, vel ab Angelo Flavio Comneno Conſtantii* FLORI *filio.* Io, ſalvete Conſtantiniani Ordinis invicti vindices, & aſſertores! venuſtiſſimis his eruditionis floribus libros undequaque inſpergere numquam deſiſtite, noviſque in dies mirificiſque titulis Equites veſtros amplificare, Angelicos, Angelinos, & Angelicales.

Hiſt. de tous les Ord. mil. Amſterdam 1699. Deſcrip. de tous &c. à Paris 1672.

Hiſt. des Ord. par M. Hermans: in Præf.

Nel Cavaliere cap. 5.

Hiſt. Cam. pars poſt. l. 4. c. 31.

De Ord. mil. Diſqu. Can. mor. pag. 4. 1668 in fol.

Theo. Reg. part. 9. ep. 5. n. 2335.

Digitized by Google

XVII. Verum ne parum eſſet auctoritatis in fabula, quæ Conſtantiniani hiſtorici referunt, magnis etiam nominibus confirmant, hærenteſque, ſi qui ſunt & dubios, citationibus, in quas exceptio non datur, conglobatis obruunt, atque expugnant: quas niſi contrivero, profligata prorſus hæc mendacia non videbuntur. Primo igitur auctoritates adducuntur plures, quæ ita faciunt ad hanc quæſtionem, ut ad Æthiopicam hiſtoriam facerent; Geneſin enim quoque citant, & Apocalypſin. Plurimi deinde ſæpenumero in ſuffragium vocantur, qui de Conſtantiniano Ordine neque loquuti ſunt umquam, neque, ut puto, quidquam audierunt; ſed ideo arrepti, quia vel de Conſtantino egerunt, ejuſque numiſmatibus, vel de victoria contra Maxentium, & ſigno in Cœlo viſo, vel de Labaro, aut Chriſti monogrammate, vel de Cruce, ejuſque cultu, vel denique de D. Georgio, aut de Iſaacio Imperatore quicquam tradiderunt. Hinc ex antiquis Nazarius, Sozomenus, Socrates, Nicephorus, Zonaras; hinc ex recentioribus Baronius, Panvinius, Platina, Lipſius, Auguſtinus, Angelonus, Patinus, Dufreſnius perpetuo in oculos ingeruntur: quæ tot ac tanta teſtimonia cum acervatim perſtringunt oculos, quis primo intuitu ab hæſitatione quadam cohibeat ſe, animoque non fluctuet? Præclarius eſt, quod illos etiam pro ſe adducant, qui de militaribus Ordinibus agentes iſtum tacite rejecere, nullo modo nominantes: ſunt ex his Paulus Morigia, & Aubertus Miræus. Nec quidquam refert, caput aliquando, & numerum, & paginam indicari: ſic enim pariter præſtant, ubi Caſſaneum, Bardum, Navelerum, Philippum Bergomatem, Franciſcum a Coriolano, Jacobum Boſium, alioſque citant, qui nullam prorſus Equeſtris hujus Religionis mentionem faciunt. Tanquam vero propugnatores eximios, præeunteſque cæteris Sanſovinum afferunt, & Menenium. Sanſovini *primam editionem* citant *anni* 1570. *cap. 46. libri ſecundi.* Editio illius anni ſecunda eſt, non prima; ſecundus liber, ſi in capita diſtingueretur, non ultra XV. contineret; at neque in iſta, neque in prima anni 1566. neque in tertia anni 1583. Equeſtris hiſtoriæ editione, de Conſtantinianis quicquam tradidit. Non inficior tamen, huic Religioni Sanſovinum addictum fuiſſe aliquando, cum in ea *Eques & locum tenens* creatus ſit, ob quas dignitates Hieronymo Angelo hiſtoriæ Turcicæ editionem anni 1573. dicavit, Scanderbegii vita, quam in anteriori non recenſuerat, inſerta, itáque interpolata, ut Andreæ Angeli *Comitis & Ducis, & Græcorum Imperatorum poſteri* titulos reponeret: de Ordinis hiſtoria neque hic tamen hiſcit. Franciſci Menenii *Deliciæ Equeſtrium Ordinum Coloniæ Agrippinæ* typis datæ ſunt; at in his Conſtantiniani Ordinis ne ver-

V. Comp. Hiſtor.

V. Juſtin. p. 41.

1613. in 8.

bum quidem. Veteratores autem noſtri, ut ab hujus etiam ſcriptoris nomine mendaciis ſuis fidem aucuparent, librum rurſus in Italia titulo, & loco falſo enuntiato edidere, hujus Ordinis hiſtoria dolo malo addita, & intruſa; nam ubi de militaribus Ordinibus ſigillatim agi incipitur, utraque editio his verbis orditur: *Non in Sacerdotibus tantum* & per x x. plus minus verſus pariter procedunt. At ubi prima ad ea pervenit, *his omnibus antiquiorem ſtatuit Ordinem ſanctiſſimi Sepulchri*, ſecunda hæc reponit: *his omnibus antiquiorem habemus Ordinem Militiæ Conſtantinianæ quæ & Aureata, & S. Georgii appellata eſt*: quove loco Auctor, quamvis ceteroquin ſatis eruditus, quodam materiæ fato, de Ordine illo futilia multa recitabat, impoſtores noſtri prolixas de iſto nænias intruſere, S. Leonis etiam ad Martianum epiſtolam hac occaſione primo in ſcenam producentes. Jam pudendæ fallaciæ, ubi non de hoc argumento ageretur, magna me admiratio inceſſeret: nulla vero in hac larva, quæ nihil aliud quam fallacia mera tota eſt; & in cujus gratiam Auctorum etiam nomina ſimulata aliquando ſunt: velut illud, *Joannes Turiel de Roxas Angelo Flavio*; de quo Nicolaus Antonius: *ſic indigitatur; cui propter Hiſpanum cognomen, ſermonemque locum dedimus in hac Bibliotheca.* Maceratæ 1623. in. 4.

Jam vero Conſtantinianorum fundamentum maximum, totieſque decantatum tandem ſuccutiendum eſt. Id ab Euſebio ſumunt, quem horum Equitum inſtitutionem diſerte deſcribere, jurare præſto ſunt: cur vero? quia narrat Euſebius, a Conſtantino poſt Labarum in Crucis figuram adornatum vexillo huic digniori, quod a militibus adorabatur, florentiſſimum L. militum præſidium conſtitutum eſſe, quos Imperator ex ipſa corporis ſui cuſtodia, ut illud alternatim ferrent, ac propugnarent, ſelegit. Ne vero aliquid obtexiſſe videar, en ipſiſſima Euſebii verba. Διὸ δὴ τῶν ἀμφ᾽ αὐτὸν ὑπασπιστῶν τοῖς καὶ σώματος ἰσχύϊ καὶ ψυχῆς ἀρετῇ καὶ θεοσεβείας τρόποις ἐγκρίτοις μόνῃ τῇ τοῦ σημείου διακονίᾳ προσκαρτερεῖν ἐκέλευσεν. ἦσαν δ᾽ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν οὐχ ἥττους πεντήκοντα, οἷς οὐδὲν ἕτερον ἦν μόνον ἢ κύκλῳ καὶ περιέπειν δορυφορίᾳ τὸ σημεῖον ἀμοιβαίως ἑκάστου αὐτὸ ἐπὶ τῶν ὤμων φέροντος. Scilicet ex verſione Valeſii: *itaque lectis ex protectorum numero quotquot corporis viribus, & animi fortitudine, & veræ Religionis inſtitutis præſtare videbantur, unum hoc munus impoſuit, ut ſigni hujus aſſidue curam gererent. Erant omnes L. viri, quorum nullum aliud erat officium, quam circumſtare, & ſatellitio ſuo cuſtodire ſignum, quod ſinguli humeris ſuis alternatim geſtabant.* An Equeſtris Religionis inſtitutionem hic perſpicue non vides? at nonne Conſtantinianos Equites Romæ poſt Maxentium

Marginal notes: XVIII. (beside "Jam vero Conſtantinianorum"); De vita Conſt. li. 2. (beside the Greek passage)

Digitized by Google

profligatum creatos clamant? qui ergo a cuſtodibus Labari initium ſumpſerint, qui nonniſi multo poſt in Oriente deſignati ſunt cum in bello adverſus Licinium geſto disjici ab eo vexillo, fugarique hoſtes animadvertiſſet Imperator? ita certe ex eodem Euſebio. Quomodo vero hoc caviſſent nugivenduli iſti, a quibus nec umquam viſus Euſebius eſt, ut ex auctorum, quos citant, elencho ſatis liquet: Euſebium enim Cæſarienſem, et Euſebium Pamphilium [ita efferunt] tanquam duos ſcriptores enumerant: ni forte miſerum Euſebium, ut auctoritatem multiplicent, in fruſta diſcerpunt. Poſt illum, codicem Theodoſianum continuo in ſuffragium vocant titulo, qui libro VI. habetur, non XII. ut ab ipſis citatur, de *Præpoſitis Laborum* ſeu Labarorum. Ibi Impp. Honorius, & Theodoſius iis, qui ad officium illud *ſtipendiorum ſudoribus* promovebantur, ut *Clariſſimi* eſſent, atque ut *ex Conſularibus* haberentur, indulgent. Iſti ſiquidem, ut ad hunc locum Gothofredus, *procedente Principe in publicum ejus lateri adhærebant.* At hinc auctores noſtri demonſtrari aiunt, Præpoſitos iſtos militaris hujus Ordinis Priores fuiſſe; propterea terrarum orbem in L. Prioratus dividunt, mirifica profecto, ac lepidiſſima Provinciarum nomenclatura. Rurſus his Prudentii carminibus de Conſtantini exercitu ad Pontem Milvium victoris Equites noſtros præclare deſcribi volunt:

Vide Juſtin. p. 42. Vide Comp. Hiſt. p. 37.

Vid. Iſaac. Imp. Reg. Ven. 1669. p. 7.

» Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
» Signabat Labarum; clipeorum inſignia Chriſtus
» Scripſerat; ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Crucem ſcilicet, & Labarum nominare, ac de Ordine Conſtantiniano loqui, idem & unum eſt apud iſtos: ni forte ea carmina, ut peregrinæ lectionis nos admoneant, recitant; conſtanter enim ita proferunt, *Crux addita Chriſtis.* Atque hi demum Auctores ſunt, quibus ad ornandam, augendamque fabulam Conſtantiniani aſſertores utuntur: aliis abs re omnino, & præter ipſorum mentem, ut vides: aliis, corruptis & doloſe inquinatis locis, falſo & ridicule in univerſum omnibus. Utinam aliquando magiſtratus conſtitueretur aliquis ad pœnas ſcriptoribus iis infligendas, qui falſo citant, textibuſque fallaciter & per fraudem adductis propoſitum confirmant, vulguſque hominum decipiunt: cur enim ad illos quoque lex Cornelia non pertineat? an communis monetæ falſarii ex omnium populorum placito morte plectendi ſunt, illius vero, quæ inter doctos erogatur, auctoritatis ſcilicet, mendaciſſimi corruptores nulla omnino pœna afficiendi? Nec libros tantum, verum etiam antiqua monumenta mangones iſti ſupponunt. Initium fecit P. Finichiarus, qui poſt nænias ab aliis acceptas, & in

bono

Digitized by Google

bono lumine collocatas, ut de hoc Ordine ſupra alios omnes bene mereretur, vetuſtum marmor adierit, quod Romæ in ærario ſervari affirmavit; ac ſi Roma ultra Sauromatas eſſet, & glacialem Oceanum: illud autem tum anaglyptico opere ſpectandum dicit, tum præcipue hac epigraphe: CONSTANTINUS MAXIMUS IMPERATOR, MUNDATUS A LEPRA PER MEDIUM BAPTISMATIS, MILITES SIVE EQUITES DEAURATOS CREAT. An veterem inſcriptionem ineptius, & ſtultius confictam uſquam terrarum eſt qui viderit? hanc tamen Juſtinianus avide arripuit, ipſumque cælatum marmor ex Finichiari mente diligenter exhibuit, ubi Conſtantinus viſitur Equites creans: inter Romanos autem Crucem jam præ ſe ferentes quidam præfulget retortis in ſuperiori labro, lunatiſque minaciter pilis. Quid a Conſalvo Angotes ſimulatos memorem Imp. Majoriani nummos? quid ubicumque A & Ω conſpicitur, vel Chriſti monogramma, id ſtatim ad hos Equites olim ſpectaſſe? piget me, ut verum fatear, quiſquilias iſtas tamdiu perſequi. Picturam quoque Vaticani Palatii in ſubſidium vocant: in aula enim, quæ nomen habet a Conſtantino, a tergo Imperatoris ante Pontificem procumbentis ſenex viſitur veſte amplo Crucis ſigno diſtincta. Hunc Petrus Bellorius picturas Vaticanas illuſtrans libro Romæ edito [qui nuncupatoriæ epiſtolæ ſingulari elegantia memoratur ab eruditis] magnum S. Georgii Magiſtrum dixit ex familia Flavia, vulgari fabulæ litans. At cum Antonii Tempeſtæ illud opus ſit, qui ſæculo proxime elapſo diem obiit, quod momentum afferat in hac diſputatione facile colligitur. Quin alio prorſus animo eam veſtem ita a pictore diſtinctam crediderim, cum candida Crux ſit, ut ipſe inſpexi, Flavii autem noſtri rubeam ſemper jactaverint; quem coloris ſplendorem magno Magiſtro triremium periculum olim creaſſe, paulo ante vidimus. Non omittendum exiſtimo quod nunc ſuccurrit de viro docto, quem jam inter ſuos numerant, auctore nimirum recentis Diſſertationis de antiquis Pontificum Romanorum denariis. Is cum rei ad Argumentum non pertinentis per occaſionem mentio incidiſſet, re ulterius non perpenſa, vulgari obiter rumori ſubſcripſit: at poſt dies aliquot cum paululum hic ſubſtitiſſet, lapſum agnovit, & quod eruditi, ac probi viri eſt, ut pro viribus aboleret, ſtatim ab exemplaribus omnibus, quæ adhuc Romæ inveniri potuerunt, paginam illam demſit alia ſubrogata. Fruſtra igitur viri hujus teſtimonium oſtentant.

Le glor. di S. Giorg. Palermo 1658. P. 1. §. 2.

pag. 18.

Vide Papeb. in S. Georg. p. 115.

XIX. In eo quod jactari admonebas, nempe Ordinem iſtum maximi Principis auctoritate inſtauratum iri, errorem ſuſpicor incertæ famæ. Certo enim novi, nebulones illos multis ab hinc annis de hoc ipſo plures aulas tentaſſe, & ubique rejectos, atque irriſos eſſe, ibique præcipue, ubi nunc triumphare dicuntur. Cum vero principum virorum non ſit, criticæ arti operam dare, aut librorum, diplomatumque fidem excutere; ſi qui adhuc male feriati homines ſunt, qui mendaciorum congerie Ducem illum ita pergant decipere, ut homunculorum, quos deſcripſimus, ſucceſſorem faciant, næ iſti ad imperatoriam magiſtri olim ſui triremem non immeriti eſſent ſolemniter amandari; præcipue cum delictum augeant, alios in Italia Præfecturæ hujus affectatores ſimulantes, Bullaſque ſtolide confingentes, quibus & Lutheranum Principem eamdem ſibi arrogaſſe, actionemque in Romano Foro ob eam petiiſſe comminiſcuntur. Ego vero Sereniſſimum illum Ducem de Equeſtri Ordine inſtituendo forte cogitare potius exiſtimo, ad magnificam aulam novo quodam ſplendore augendam, atque exornandam. Ut hoc autem præſtet, an alieno nomine, an aliunde quæſito lumine, ac pretio indigeat? ex ea gente Princeps, de qua præſtantiſſimus Hiſtoricus multo ante ita loquutus eſt: *cum a majoribus, quorum ſummi honores, & res præclare geſtæ memorantur, magnum decus, atque ornamentum accepit; tum ætate noſtra, quibus rebus mortalium vita honeſtatur, iis ita omnibus antecellit, ut Italicarum gentium pauciſſimos cum ea vel opibus, vel dignitate conferri, virtute quidem, & ſtudio maximarum rerum, unde vera nobilitas petitur, præferri nullam poſſe exiſtimem.* Accedunt ab illo ævo, ſerie non interrupta, regiæ undequaque cognationes; accedit magnæ, atque uberrimæ, inclytiſque familiis claræ ditionis imperium; eximia accedit magnificentia, & intermiſſus numquam, ſed auctus in dies atavorum ſplendor. Novi autem Ordinis locus, & dignitas ex ampliſſimi Præfecti arbitrio omnino pendebunt. Alio ſiquidem in pretio habebitur, ſi eo titulo ſummos tantum præſtantiſſimoſque viros ornabit, in alio ſi ſecundæ etiam nobilitatis, mediocriſque in rempublicam meriti, in alio demum ſi minoris etiam fortunæ homines, & arti, quæ manu tractetur, addictos: hinc enim equeſtrium Ordinum major, vel minor commendatio deſumitur; minime vero quod eorum origo a Conſtantino repetatur, vel a Theodoſio. At ſi accideret etiam, ut inſtituenda Militia appellaretur Conſtantiniana, id forte inſtitutam argueret in memoriam Crucis a Conſtantino in Cœlo viſæ: viſio ſane memoranda, cum ab ea redemptionis noſtræ abjectum antea,

Panvin. in Paulo III.

Digitized by Google

atque inviſum ſymbolum in Regum vexillis, interque diadematum gemmas cœperit collocari.

XX. Habes, V. Cl. quantum in me fuit, funditus eradicatam fabulam tot ac tantis præſidiis inſtructam fruſtra, atque communitam. Cum vero literas jam obſignarem, alteræ a te redditæ mihi ſunt. Quod de fratris mei commutatione cum Marlborugio Duce per literas egeris, quodque cum Eugenio Principe, gazam literariam tuam viſendi cupido, præſens acturus aliquando ſis, pro inſigni humanitate tua facis, totamque familiam meam ſummo beneficio tibi devincis. Certior factus ſum, Legatum quemdam, ſive ut nunc loquimur, Locumtenentem Generalem a Gallo-Hiſpanico exercitu olim captum eſſe, cum quo aptiſſime commutatio inſtitui poſſit: quod tamen, ut verum fatear, his temporibus magis opto, quam ſpero. Philaſtrii codicem, cujus vir quidam doctus mihi ſpem excitaverat, Brixiæ nullum inveni: multo cum mœrore hoc tibi nuntio, cum videam tanto deſiderio collationem meam a te expectari: Fabricium Cl. V. fac ſtatim admoneas, ne editionem ſuam remoretur amplius. Therapeutas tuos avidiſſime expectamus omnes, jam diu enim aſſuevimus eruditis tuis lucubrationibus impenſe favere, ac certatim plaudere. Henrici Neutonii, cujus eruditionem, humanitatemque non ignoras, poſt Legationes Florentinam, ac Genuenſem miro omnium Ordinum plauſu abſolutas, in Angliam ſuam redeuntis epiſtolam accipio, in qua librum meum [quem ad te nondum perlatum eſſe doleo] tam immoderatis laudibus extollit, ut rubore adhuc ſuffuſus ſim: precor te, Vir eximie, ut indices mihi, quo reſponſum meum dirigendum ſit, ne erga ſpectatiſſimum virum officio defuiſſe videar. Magnifice is, quæ ſua humanitas eſt, de Italicis ingeniis ſentire ſolet; nimirum cum in ea Urbe diu commoratus ſit, quæ ut præclare Octavius Ferrarius, *ipſius Italiæ Italia eſt.* Jam vero quod in tui gratiam opuſculum exegi, precor benigne excipias, utque bonas literas doctiſſimis ſcriptis tuis iterum atque iterum illuſtrare pergas, ut facis. Vale. In epiſt. ad Leop. Medic.

Dabam Veronæ Idibus Aug. anni M. DCC. XI.

DOMINICO TEUPOLO
SENATORI.
Scipio Maffeius.

HÆc ſunt, Vir ampliſſime, quæ de hac quæſtione pro ingenii mei tenuitate diſſerui. Cum vero ea jam antea, & ad alterius nutum ſcripta fuerint, ac propterea nulla opera, labore nullo tibi morem geſſerim, non committam, ut aliqua ſaltem, quibus te quoque alloquar, non addam; quæ tecum, tantæ ſcilicet in Republica maxima dignitatis viro, ſupervacaneum non fuerit communicare. Elucubranti mihi diſſertationem hanc, totque volumina his nugis, vel referta percurrenti, vel inquinata, ea non ſemel cogitatio incidebat. Cum bene ac ſapienter inſtitutum ſit, ut caveatur diligentiſſime, ne quid typis detur quod moribus officiat, aut pietatem lædat, vel Principes; cur eruditionis etiam ratio aliqua ſaltem leviſſima non ſit habenda? compertum eſt, iis omnibus, quæ excuſa leguntur, atque adprobata, fidem pleniſſimam ab hominum vulgo haberi: cur ergo mendaciorum congerie decipi omnino plurimos, cur ſcriptis ineptiſſimis infici aliquo modo univerſos, permittendum ſit? Librorum cenſores ex ſummis tantum eruditorum Principibus caute ſeligendi eſſent, quod in præſentia Romæ fieri ſolet ſummo rei literariæ bono; ubi enim a minus doctis expendantur, inanes ſæpius, & moroſiſſimæ ſine cauſa tricæ. At neque hoc ſatis: cenſores inſuper hujuſmodi poteſtate inſtruendi eſſent ea rejiciendi, improbandive, quæ etiamſi impia, vel ſeditioſa non ſint, omni tamen ex parte futilia ſunt, fictiſque, atque adumbratis rebus veritatem omnem, genuinamque antiquitatis notitiam perturbant miſere, atque intermiſcent. Audire contigit nuper mihi adoleſcentem quemdam de Græcis Imperatoribus, deque Orientis rebus multa hilariter proferentem falſa prorſus, atque inaudita, quæ omnia ex ſplendida Conſtantiniani Ordinis hiſtoria hauſerat miſer, ſibique velut gemmas ſepoſuerat. Cur autem ad morem ſive quorumdam dolo malo, ſive inſanæ quomodocumque ſcribendi libidini gerendum, hiſtoriæ fidem, quæ rerum omnium magiſtra eſt, tam fœde liceat corrumpere, ac depravare? cur etiam Italici nominis, cui ex ſciolorum quorumdam, impoſtorumque nugis tam turpis ſæpe nota inuritur, veluti tutela aliqua ſuſcipienda

non ſit? neque ab ea, quam in hac diſputatione mirati ſumus, ſi ngendi, mentiendique licentia alienum prorſus abeſt damnum; quod enim umbratili huic Militiæ falſo tribuitur, veris, illuſtribuſque Ordinibus injuria eripitur: Hieroſolymitani Equites jure merito inter alios dolent, quibus antiquitatis adimitur, & honoris primatus. At dum in hoc argumento verſarer, alia quoque ſubibat aliquando cogitatio. Cum enim plurimos invenirem ex iis, qui in ſtudiis, ac literis vitam ponunt, docendique cæteros munus profitentur, fabellam iſtam non fallendi ſtudio, neque decipiendi animo, ſed ex eo celebrantes, quod & ipſi decepti eſſent, itaque decepti, ut qui aliter ſentiret, *inſanire* putarent, *rudemque omnino, & in hiſtoria hoſpitem eſſe*; ſumma capiebar miſeratione inſtitutionis illius, qua communiter implicamur, & qua ego quoque infeliciter florentem ætatem conſumpſi. Quid enim juvat iis ſtudiis tam longum tempus impendere, a quibus neque id conſequamur, ut a fabulis tam ridicule excogitatis in tuto ſimus? Quid ei perſuaderi non poterit cui Equeſtrem Religionem ipſo IV. Chriſtiani ſæculi initio inſtitutam eſſe perſuaſum eſt? Quantum diſtat ab incredibili inſcitia doctrina iſta, per quam centonem male farctum conjugalis caſtitatis, obedientiæ, & militaris diſciplinæ vota memorantem, tamquam S. Leonis epiſtolam accipimus, defendimus, prædicamus? Qui LXXII. Imperatores huic Ordini præfuiſſe pugnant; qui recentis Romanæ curiæ formulis conſarcinata a Græcis Imperatoribus diplomata profecta putant; qui verba: *mundatus a lepra per medium Baptiſmatis*: in Romano ævi Conſtantiniani marmore contendunt legi; iiſne qui nondum ære lavantur, ſcientia præſtare ne pauxillum quidem dicendi ſunt? Qui ſtudiis rejectis otio, ac voluptatibus vitam tranſigunt, rudes, cæcique, veluti jure ſuo ſint; & quaſi in inertiæ pœnam impoſturis omnibus pateant, quidve uno quid altero ſæculo incœperit nihil callentes, ubi rationes requiruntur rumoribus pugnent, ac figmentis quibuſcumque, etſi futilitatis, ſummæque levitatis plenis miſere ludificentur. At quanto eorum deterior conditio, qui maximis exantlatis laboribus, atque ætate inter ſtudia conſumpta, in eadem prorſus optimarum rerum ignoratione verſantur, ita ut neque otii, ſi ulla eſt, dulcedinem experti ſint, neque ſudoris fructum ullum aſſequuti? Quam luctuoſa ea diſciplina dicenda eſt, quæ aut verſiculis, quo etiam naſo elaboratis non excutio, alliget ſtudia noſtra; aut inanibus quæſtionibus, barbariſque, ac ſæpe nihil ſignificantibus verbis tamdiu nos involvat, ut diuturna jactatione obſtrepentes nullam interea rerum notitiam x. vel XII. etiam annorum ſpatio conſequamur?

Verum hæc inter nos, Vir præſtantiſſime, & quidem ſubmiſſa voce; mihi enim nihil aliud quam invidiam ſummam ſtatim concitarent. In ea ſcilicet incidimus tempora, quibus inutiles, vulgareſque merces ſi explices, eveharis *ad Deos*, atque uno nomine libros impleas; ubi a trita ſemita deflexeris, ſive majus aliquid audens, ſive ea proferens, quæ ab iis, qui ſibi videntur docti, non intelliguntur, inter exigua nomina ſtatim recenſearis. Quod ſi quis errorum tenebras diſcutere, ac rem literariam tranſacto ſæculo, maximis quibuſdam viris nequicquam obnitentibus, tam luctuoſe in Italia prolapſam conetur pro viribus reſtituere, atque Italica ingenia ad proavorum noſtrorum lucem revocare, is fremitu etiam, ac ſibilis excipiatur, proſcindaturque conviciis: quodque ſupra omnem moleſtiam eſt, non de pravis inſtitutis in univerſum loqui, ſed hos vel illos deſignare homines ſtatim credatur; partiumque ſtudio impelli, quas nedum foveat, ſed aliquando etiam ignoret: vetus ſiquidem querela

Cic. Epiſt. Fam. lib. 6. ep. 7.

eſt, *non tam intereſt quo animo ſcribatur, quam quo accipiatur.* Hæc tamen omnia, Theupole doctiſſime, eos torqueant potiſſimum, qui vel inani vulgaris famæ cupiditate inflammantur vel a ſtudiis ſuis quicquam aliud quam delectationem petunt, quam nemo poteſt eripere. Ego quidem, ubi etiam laudis amore tangerer, nihil ultra expeterem, quam ut mihi pauciſſimi profecto, ſed tibi comparandi, contingerent laudatores.

FINIS.

BIBLIOTHEK DER STADT AUGSBURG

Digitized by Google

4° Kult.
Maffeius
1712

Digitized by Google